POGGII

EPISTOLÆ

EDITAS COLLEGIT ET EMENDAVIT
PLERASQUE EX CODD. MSS. ERUIT
ORDINE CRONOLOGICO DISPOSUIT
NOTISQUE ILLUSTRAVIT

EQU. THOMAS DE TONELLIS JC.



VOL. II.

FLORENTIÆ
TYPIS *DELLE MURATE*
MDCCCLIX.

LECTORI BENEVOLO

Eques Thomas de Tonellis publicare coepit Poggii epistolas, quas ingenti numero ex variis codicibus, tum nostrarum, tum exterarum bibliothecarum summo studio ac labore collegerat, ut, quae sparsae antea per diversas editiones erant, et quae ineditae, quarum major pars, manebant, una editione et recta ac bene disposita collocatione legerentur; ut ipse testatur in praefatione Voluminis primi. Post illius vero publicationem, variis causis impeditus, aliorum duorum (nam tribus operam distribuerat) editionem suspendit. Testamento autem suo olographo, quod die vigesima octava Julii anni 1850 exaravit, onus haeredibus imposuit publicationis prosequendae; et nunc oneri satisfaciunt.

Vale, Lector; et scripta quae sunt, ut ita dicam, primordia vitae Italicarum litterarum, tibi sint commendata.

POGGII

EPISTOLÆ.

LIBER QUINTUS

EPISTOLA I.

Ad Bertum Cancellarium Senensem.

Carissime frater. Vellem alia ex causa initium mearum ad te litterarum profectum, aliamque ad te scribendi datam esse facultatem, quam calamitatem et miseriam hominis indigni hac tanta fortunae iniquitate, qui cum agrum meum coleret, mihique esset carissimus, nuper direpta, incensa, eversa patria, amissis rebus omnibus, cum uxore afflicta et miserrimis liberis in potestatem hostium venit, et Senis cum adolescente filio in durissimis vinculis detinetur. Alter quinque annos natus nescitur aliqua ne clade assumptus, an vivus sit. Quid ad hanc flebilem conditionem acerbitatis addi potest? utinam haec mala in auctores redirent! sed miseri atque inopes rustici aliorum poenas

luunt. Impedior non solum dolore, sed et lacrimis, ne sim in scribendo longior, referens animum ad eorum, pro quibus intercedo, iniquam vicem. Versatur enim ante oculos confecti moerore parentis ingens moeror, afflictae uxoris turpis squalor, moestus luctus filii infelicis, quibus nihil, praeter turpem et odiosam vitam, reliqui superst. Parenti X, filio XL florenorum redemptionem adscripsere, gravem, et supra vires eorum, quorum calamitati, nullam, nisi spirandi flendique ac plangendi, facultatem crudelitas militum reliquit. Et nisi aliquorum misericordia eis opituletur, in carcere et compedibus misere pereant licebit. Hos tibi majorem in modum commendo tanquam ipsum me. Si quid mihi pro conjunctione communium studiorum, quae plurimum valere consuevit, si quid mihi pro tua humanitate gratum aut acceptum cupis facere, rogo, obtestorque ut in his liberandis elabores, agasque ut quam minimo redimantur. Si quid meae preces apud te valent, si quid te pietas movet, etiam atque etiam oro, ut horum miserrimorum curam suscipias, efficiasque, ut bonis omnibus eversi, summa inopia ac mendicitate oppressi, tua ope atque opera extremam sortem evadant, ne in vinculis viles animas exalent. Id facile consequentur, si egeris ut parvo redimantur; et id parum, quicquid futurum sit, a me proficiscatur oportet. Assume ad hanc rem tecum, si opus fuerit, dominum Petrum, quem confido tibi adfuturum, cum me diligat. A te peto ut mihi respondeas quid agere hac in re possis,

vel potius quid egeris; scio enim te posse: velle non diffido: sed festinatione opus est, ne illi trahendo tempus male crucientur. Vale. Romae die XXIV Maii (1).

EPISTOLA II.

Poggius Florentinus viro clarissimo Francisco Barbaro sal. dicit.

Licet sciam permultas esse occupationes tuas, tum publicas, tum privatas, quibus te plurimum temporis impertiri convenit, audebo tamen pro nostra amicitia te interpellari paululum, atque avocare a rebus seriis ad ineptias quasdam ridiculas, nescio Guarini viri doctissimi, an mea culpa contractas. Si tamen hac in re solitam tuam mihi prudentiam praestabis, intelliges potius culpandum esse Guarinum, qui ultro munus desumpsit, neque sibi necessarium, neque congruens amicitiae nostrae. Ego dudum exercitio quodam scribendi ductus, edidi epistolam quamdam de Scipionis Caesarisque praestantia, in qua, neque Guarini, neque cujusquam alterius e nostris, mentionem feci, usus scribendi libertate de mortuis praesertim, qui neque rescribere possunt, neque proscribere, tuli sententiam quae opinioni meae verisimillima videbatur, linquens caeteris liberum judicium, prout cuique libitum esset, sentiendi. At vero Gua-

(1) Anni 1432.

rinus tanquam cohaeres Octaviani, ad quem necessario defensio Caesaris spectaret, tanquam in ea re sua aextimatio versaretur, indignum id facinus exclamans, insurgit adversum me, scribens superbe nimium et arroganter magis quam vires suae eloquentiae patiantur, aut pristina sua humanitas requirat. Itaque suscepit sibi laborem inanem mecum decertandi pro Caesaris causa, parum consulens juri antiquae nostrae benivolentiae. Nulla enim in re, nullo in loco, nullo verbo vel pusillum a me offensus prosiluit ad primum, ut ajunt, bubae sonitum, ad me oppugnandum, veluti militem partium Pompejanarum. Quid enim urgebat Guarinum in Poggium insultare, si praetuli Caesari Scipionem? quid ad eum pertinuit, quae suae partes fuerunt, mihi detrahere, mecum litigare, totiens me veluti ignavum quemdam increpare? Si quid nobis ad eloquentiae studium atque exercitationem concessum est, vel laudando aliquem, vel vituperando remotum ab aetate nostra, non sui generis, non nominis, non nationis, ingeniolum meum volui exercere. Si Caesarem colit, si memoriam illius caram habet, si nomen diligit, si gesta extollit, debuit remota personarum contumelia ejus suscipere defensionem, me etiam laudante, ibique, quantum dicendo, vel scribendo posset, ostendere. Nam mihi sumpsi ad scribendum exercitium, id aliis quoque aequo concessum jure cognosco. Sed posteaquam eo modo mecum agere libuit, ego quoque ne desim, tum mei defendendi, tum Guarini fortitudinem (ne dicam, ut de me

scribit, audaciam) paululum comprimendi. Etenim cum me audacem accusatorem, magis quam fortem dicat, experiendum fuit, an hic provocator armis Vulcanis ab Jove, ut ferunt, demissis in aciem descenderit. Lege igitur, cum ocium suppetit, primo epistolam a me conscriptam; tum Guarini reprehensionem, deinde defensiunculam meam, hoc maxime pacto, vel me, vel Guarinum, vel utrumque, aut temeritatis, aut ignorantiae accusabis. Vale. Mei, ut soles, memor (1).

EPISTOLA III.

Poggius pl. sal. dicit Nicolao suo.

Scripsi ad te dudum, et misi tibi litteras, quas scripsi ad Cosmum consolans eum super casu suo: rogavi autem te ut legeres eas mihique rescriberes an viderentur reddendae. Tu vero more tuo non solito, sed novo, et quodam taciturnitatis torpore nil mihi rescripsisti. Saltem debebas significare te litteras recepisse, si judicium tuum nolebas afferre. Totus immutatus es, vel senectutis, vel temporum vitio, vel rerum privatarum cura. Id agis, ut ego quoque sileam tecum, et neque de publicis, neque de privatis scribam, prout solitus sum. Rescribe, igitur si placet, an receperis litteras illas; ut si fortassis in via periere, mittam alias. Nimium enim diu tardus fui in dan-

(1) Haec etiam exarata videtur anno eodem 1432.

dis litteris, si reddendae fuerint; qua in re tuam sententiam expecto; verum si me negliges, egomet mihi censor ero. Vale. Romae die IX Januarii (1).

EPISTOLA IV.

Poggius pl. sal. dicit Nicolao suo.

Admodum mihi placet probari a te et Carolo, doctissimis, atque eloquentissimis viris epistolam meam, quam posteaquam misisti ad Cosmum, vulgabo liberius. Continui enim illam domi reclusam, quoad mihi respondisti: quod factum est a te tardiuscule quam vellem; unde, et paulum tibi succensens, exaraveram ad te paucos versus, pridie quam tuas litteras recepissem, increpans hujusce rei tarditatis. Eos etiam ad te mitto, ut ne quid te lateat cogitationum mearum. Tu ut soles, aequo animo leges omnia, et non feres moleste me loqui tecum fidentius, ut mos est amicorum. Vide quid de te presumam, cum potuissem litteras continere, malui tamen notum esse tibi erratum meum, si quod fuit, quam occultum. Sed quoniam epistolam illam Cosmianam, ut sic loquar, in eo genere a te probari sentio, obtundam te alia epistola in diverso genere, quam dudum scripsi in quemdam protervum, qui me provocarat: quo cum quoniam postea in gratiam redii, continui illam,

(1) Anni 1433.

et nomen etiam delevi: volo tamen, ut eam legas, ostendasque Carolo nostro, et quid tibi de ea videatur, rescribas. Res nostrae quo in loco sint, jam scio notum esse tibi: sed pejore, quam sint esse non possunt. Nisi provideritis, quamprimum in vos haec tempestas defluet, vel potius ruet; ejus enim artificis haec sunt consilia, qui pacem semper odit. Verum oportet, ut impleantur Scripturae, et facta sua effectus producant. Vereor ne haec nostra Italia dilaceretur primum a nostris, deinde a barbaris, qui per infirmitatem nostram valebunt. Sed haec illi cogitent, quorum magis interest. Ego litteras sequar, quantum licebit per occupationes publicas. Vale et me ama. Romae die XXI Januarii (1).

EPISTOLA V.

Poggius pl. sal. dicit Guasparo Veronensi.

Recepi pridem a te litteras semilaceras, atque ita corruptas multis in locis, ut vix legi possent: quod accidit culpa portitoris, ut puto. Verum intellexi optime, quae a te scribuntur plena humanitatis et benivolentiae. Ego mi Gaspar vellem aliquod extare meum in te beneficium, ut quae mihi debere te asseris, merito meo vera essent. Nam scis nihil a me profectum, quo vel paulum satisfacere possem desiderio, et affectioni erga te

(1) Anni 1433.

meae, nisi forsan, quod viri grati solent, voluntatem officii praestandi pro beneficio accipis. Quod si agis, fateor te mihi plurimum debere. Amo enim te majorem in modum propter virtutem tuam, et humanitatem, tum vero maxime propter studiorum conjunctionem, quod est maximum vinculum amoris conciliandi. Nam cum vidissem te dudum studiis deditum humanitatis, quibus ego quoque paulum delector, optimo etiam ingenio, et summa diligentia non solum bene dicendi facultatem, sed bene quoque vivendi doctrinam appetentem, complexus sum te animo statim et praecipua quadam benivolentia affectus erga ingenium tuum. Nihil tamen accidit, neque ulla data est facultas, qua meam in te affectionem ostendere possem, non quidem mea, sed temporum culpa facultas tántum defuit, non voluntas. Tu vaca doctrinae, et bonae menti, quae sola satis dignum praemium doctrinae videtur afferre possidentibus. Haec scripsi manu festina, ne vel me superbum, vel te contemptum putares. Vale et me praestantissimo equiti Romano Stephano de Porcariis commenda. Romae kalendis Februarii (1).

(1) Anni 1433.

EPISTOLA VI.

Poggius pl. sal. dicit Nicolao suo.

Quamvis sciam, mi Nicolae, non admodum probari tibi haec nostri temporis facta, referenti, ut opinor, animum ad illa priscorum virorum gesta, magnifica quidem atque omni laude digna; tamen recentiora etiam minime tibi arbitror contemnenda, ea praesertim quae perraro, et cum aliqua aextimatione nominis, ac rerum dignitate fieri solent. Sunt quippe permaximi judicanda illa, quae legimus, quae admirari citius quam imitari nostri homines possunt. Sed tamen nonnihil ad eorum dignitatem atque amplitudinem scriptorum ingenia contulere, qui etiam parva quaedam ita luculenter describunt, ut habeantur pro maximis. Nostra vero, et nos ipsi spernimus, eaque verbis, atque indignatione quadam animi insectamur, et si qua agantur memoria digna, scriptorum inopia obsolescunt; ut non tam sua culpa, quam nostro vitio, parva ac ridicula videantur. Verum sentiant caeteri quod volunt, ego parvis istis quae dantur, quaeque longo intervallo temporum videmus, delector: si quando contingat aliquam nobis in ipsis pristinae imaginem gloriae repraesentari. Qua in re duplici fruor voluptate, altera cernens quae oblectant oculos, cum sint procul ab usu nostro remota, altera complectens cogitatione superiora illa, quae legendo admiramur. Referam tibi igitur

adventum Caesaris nostri ad Urbem, Ejusque coronationem; ut tu quoque inter legendum, avocata mente a curis privatis, quibus te aliquando angi necesse est, aliqua mecum fruaris voluptate, audiens ea quae paucissimi aetatis nostrae visi meminerunt. Te vero velim, ut omissa acri illa censura, qua praesentibus in rebus uti soles, si reliqua displiceant, vel saltem me confabulantem pacienter auscultes. Qua die Caesar Urbem introiit (ingressus est autem Ascensionis Domini die, et ea porta secundum antiquas ceremonias quae est pone sepulcrum Adriani) omnis populi multitudo, viri pariter ac mulieres se ad conspiciendum, qua iter facturus erat, effudit. Urbs Roma in XIII regiones nunc descripta est, paulo minore hominum numero, quam olim fuit, cum erat XIV distributa. E regione qualibet annis singulis deputantur electi ex ordine equestri adolescentes octo ad celebrandos publicos ludos, qui se, equosque veste varia contecti, personatique, diversam pompam ludorum ducunt: hi, reliquique, qui etiam solemnium sacrorum ludis de more adesse consueverunt, Regem praecedere, diemque festum agere jussi sunt. Praeibant ergo Regem primum omnium, varii generis longo ordine impedimenta, partim ad cultum corporis, partim ad usum militarem accomodata. Sequebatur equestrium virorum ingens numerus, cum civium, tum peregrinorum, qui sibi extra Urbem obviam ierant; tum diversae Regum, Principumque, ac populorum legationes, in quibus et Graeci Imperatoris Oratores erant attrahentes

in se ora atque oculos omnium admiratione quadam, tum propter novitatem vestimentorum, capitisque mira integumenta, tum vero comarum barbarumque prolixitatem. His intermixti procedebant proceres permulti, qui variis ex locis ad hanc celebritatem convenerant. Subibat deinceps tubicinum ac tibicinum turba, multique praeterea vario sonorum strepitu aures adstantium replentes. Post hos aderant, quos retuli ex singulis regionibus instituti ad ludos, sericia quaedam vexilla tenentes manibus, et ipsi suo ornatu insignes. Succedebant dehinc Magistratus omnes Urbis, et qui publico aliquo officio funguntur, suo quique habitu, nonnulli vero et aurea veste, qua equos quoque contexerant, quem ipsi priscum esse habitum asseverant. Pone subsequebatur pedestrium agmen, partim gestantium olivarum ramos, partim eas, quas ipsi facolas vocant; nomen antiquum non repperi, licet res haec sit moris vetustissimi, cum et in arcubus triumphalibus coram Imperatoribus, et aliis in locis ante Consules inter fasces deferri solitas vetustissimae sculpturae testentur: quas cum ipsi manibus simul ad numerum moverunt, festivam ac popularem quandam praebent ex tintinnabulorum sonitu alacritatem. Praecedebat hos, qui priscis Imperatoribus mos fuit, egregius adolescens, veste purpurea, atque aurea caesarie, argenteos nummos populo spargens. insuetum spectaculum, sed imperatorio munere dignum. Postremi Sacerdotes antecedebant Regem canentes hymnos. Ipse demum Caesar albo vehe-

batur equo sub aureo pallio, quod nobiliores deauratis hastilibus deferebant, caeterisque spectaculis excellentior. Est enim adspectu perhumanus ridenti similis, facie hilari ac liberali; barba subcana ac prolixa; ea inest in vultu comitas ac majestas, ut qui illum ignorarent, ipso conspectu, et oris egregia spetie caeterorum Regem opinarentur. Post eum secuti sunt armati equites nostrates, ex iis quibus Pontifex stipendium praebet. Hoc comitatu ad Ecclesiam beati Petri, sedente pro gradibus templi Pontifice ante porticus exterioris fores, exceptus est inter dissonas plaudentium ac tumultuantium diversarum gentium voces. Inde cum ad supremum altare una profecti essent, peracta solemni Missa, alter ad destinatum, alter ad solitum palatium divertit. Habes introitum. Nunc accipe coronationem, quae in festo Pentecostes pridie kalendas junii subsecuta est. Scio morem hunc Imperatoris coronandi, qui nunc servatur, non esse priscum, sed initium sumpsisse olim a Carolo Magno Francorum Rege, qui, cum Constantinus una cum Leone filio apud Graecos imperarent, atque ipse, reliquique jamdudum antea imperatores Italiam undique bellis confractam tunc vero hinc a Longobardis gente aspera feraque, hinc a Mauris oppressam, omnique praesidio destitutam, et pene exinanitam reliquissent, Urbs autem pene esset in extremis difficultatibus, vocatus a Stephano Romano Pontifice in subsidium Urbis, devicto Desiderio Longobardorum Rege, barbarisque subactis, a populo

Romano ob ejus merita imperator appellatus, atque ab Adriano Pontifice coronatus est. Quae observata a posteris coronandi consuetudo, ad nostram usque aetatem descendit. Priscis autem Imperatoribus, ut nosti, lauream in triumphis coronam gestare mos erat: concessa enim a Senatu triumphandi potestate, et jus coronae laureae deferendae, tributum erat triumphantium insigne. Primo Caesari Dictatori licentia coronae laureae perpetuo gestandae concessa extitit a Senatu, qua postmodum reliqui Imperatores pro libidine usi sunt contempta superiorum auctoritate. Verum quoniam mos ille obsolevit omnino, nec solum ex usu, sed ex memoria quoque hominum abiit, hunc recentiorem per septingentos ferme annos servatum, antiquum esse arbitremur, atque abjicientes illa quae jam usus exposuit sequamur, quae a nostris majoribus religiose instituta, et ad nos usque traducta consensus Christifidelium comprobavit. Nostri Imperatores cum eliguntur, ante consecrationem coronationemque Romanorum Reges appellantur perverso vocabulo, quasi pluris aestimandum videatur imperatorium, quam regium nomen. At vero prisci Romani post expulsum Tarquinium Superbum, ob odium regum, nomen regium funditus substulerunt, Senatus-consulto statuentes nequem deinceps regem in Urbe esse liceret: cum imperatores permulti, quotannis re bene atque feliciter adversus hostes gesta, a militibus honoris causa appellarentur. Unde et inter caeteros aetatis suae principes civitatis M. Tullius Cicero in

Asia est a militibus dictus imperator. Julius autem Caesar cum saepius post partam victoriam esset Imperator ab exercitu appellatus, non imperatorium, aut regium, sed Dictatorium nomen usurpavit; tantum odium sibi regis nomen in Urbe contraxerat. Cum autem cuperet regis nomen, vereretur autem populi indignationem, molitus expeditionem in Parthos, atque asserens in libris Sibyllinis contineri, non nisi a rege, Parthos superari posse, se regem dici procuravit, quod maturandae mortis suae causam praebuit conjuratis. Nullus autem sequentium Imperatorum se Regem Romanorum dicere ausus. Imperatoris vero appellatio perpetua Caesaris non erat, sicuti neque Consulis, nec Praetoris, nec Tribuni plebis. Nam et priores illi Augusti, cum Caesaris et Augusti cognomine continuo uterentur, vario numero quosdam septies majori, alios minori numero invenimus appellatos Imperatores, Consules, Tribunos plebis. Dignitatis enim, non officii nomen, id fuit. Nam re prospere adversus hostes gesta, mos erat, honoris gratia, Consules, Proconsules, Praetores, et salutari, et dici a militibus Imperatores. A quo autem primum haec nova, tum Regis, tum Imperatoris nominandi consuetudo defluxerit, ignoro. Existimo autem hoc a barbaris derivasse, qui cum priscas historias ignorarent, neque verborum vim tenerent, esset autem frequentius apud eos Regis nomen, utpote sub Regibus viventes, Imperatorem vero unicum ac rarum viderent, id excellentius arbitrati sunt, quod rarius atque insuetius conspiciebant. Utcum-

que tamen hoc adoleverit, id plane constat non satis scite hanc appellationem a posterioribus introductam. Verum ineptissimus ego, qui auribus doctissimi hominis haec refricare ausus sim! Cum dies coronationis advenisset, ingressus interiorem Ecclesiae porticum Caesar, ante portam, quae dicitur argentea, juramentum quoddam Pontifici praestitit de more superiorum. Tum profectus in templum superius, pone majus altare, ad dexteram partem assistens, inque morem Diaconi indutus, ab Episcopo Ostiensi sacro oleo inunctus est: hinc existimo Augusti nomen olim descendisse. Loca enim, ut scis, augurio consecrata, augusta antiqui appellabant: quod nomen tanquam sanctum a Senatu indictum est Octaviano. Hac observatione et nostri quoque imperatores post consecrationem Augusti vocantur. Post haec ad Pontificem celebrantem ad altare accessit, a quo osculo exceptus, interque celebrandum, primum alba mitra capiti imposita ita ut cornua ejus ad tempora erigerentur, aurea desuper corona coronatus est. Tum vero aureum pomum sceptrum, ensemque nudum ei Pontifex tradidit, tanquam Christi militi, qui armis, si quae opus essent, et Romanam Ecclesiam, et Christi fidem tuendam, defendendamque susciperet. Peractis ex more solemniis, pluviali veste indutus est: inde cum Pontifex, tum Imperator equos ascendentes, una versus pontem Adriani proficiscuntnr. Consueverunt superiores imperatores olim usque id loci ad fraena Pontificis pedibus iter facere; quod iste ne servaret, podagra prohi-

bitus est. Cum vero constitissent ad sepulcrum Adriani, Pontifex domum rediit, Imperator vero ita ut descenderat, mitratus coronatusque cum veste sacerdotali, ad Basilicam Lateranensem abiit inter populi laetantis varios plausus; supra pontem autem cum transiret, descendens ex equo, quamplures strenuos viros atque adolescentes militaribus insignis donavit. His rebus universa Civitas ad summam hilaritatem effusa est, ad diei tam festi pulcritudinem, et is omnium, quos unquam viderim, celeberrimus Urbi illuxit: qui ut gaudium summum attulit, ita oro, ut pacem secum concordiamque importet. Vale, mi Nicolae; et si longior fui ne mireris; ociosus enim sum, et tecum loquor libentissime. Tu vero responde, cum libet. Romae pridie nonas junii (1).

EPISTOLA VII.

Domino Cardinali Sancti Angeli.

Quamvis ea quae ad te, pater praestantissime, sum scripturus, majora quidem esse videantur, quam vires pusilli hominis ferre possint, meus tamen in te amor singularis, non solum suasit, verum etiam compulit, ut ad te scriberem quae dignitati et honori tuo condecere arbitrarer. Non enim aliter commoveor in his quae aliquando

(1) Anni 1433, nam Sigismundus Imperator, de quo haec epistola loquitur, ab Eugenio Pontifice IV coronatus fuit Romae pridie kalendas junias anni hujus.

contra te sentio disseri, quam si viderem in certum discrimen adduci aestimationem meam. Multa tibi objiciuntur a majoribus, multa etiam vulgo loquntur multi, qui diligentiam tuam et solicitudinem in pejorem partem interpetrantes, minuunt, ut dicam leviter, laudes tuas, ut major jam quaedam, ad ea quae aggressus es, cura tibi praestanda sit, et exquisitius consilii genus adhibendum. Licet autem ea sint tempora, ea rerum conditio, ut divini potius quam humani ingenii esse videatur, ita certum exploratumque consilium habere, ut neutram in partem declines, nihil offendas, tamen tutissimum semper habitum est parere majoribus, et gravioribus in negotiis ducis imperium sequi. Nam si Apostolus etiam discolis dominis voluit nos obtemperare, quanto magis Vicario Christi parendum est, cujus mandata contemnere, arrogantis, praeceptis contradicere, superbi, decreta increpare, stulti esse videtur. Instas, atque eniteris omni studio ut Concilium fiat Basileae. Certus sum, neque enim aliter existimare decet (licet nonnulli, quod paulo post dicam, secus murmurent) tuam prudentiam ad id bono tantum publico et communi utilitate commoveri, illam solam versari ante oculos, eo tuas tendere cogitationes. Sed hoc quoque meminisse te oportet pro portiuncula tua, publicarum rerum curam te sumere oportere, ne plus aequo progrediens, publicam rem in privatam videaris velle convertere, eoque vires tuas proficisci debere, unde tute, et absque reipublicae detrimento re-

gredi possis. Neque enim bonum imperatorem decet sponte in eam aciem descendere, in qua non suo praescripto, sed militum arbitrio sit pugnandum, in qua plus temeritas fortunae quam consilium possit. Illud vero indignum viro sapiente, ut nosti, dicere non putarem; cujus id officium habetur praecipuum, non solum quod est ante pedes videre, sed prospicere etiam futura, neque commoveri tantum spe boni concupiti, quantum timere casum etiam insperati mali. Cupis servare Concilium Basiliense, ut haeretici ad fidem in eo convertantur; reformentur Ecclesiasticorum mores: pax inter Christianos constituatur. Haec quidem cogitatio honesta et sancta est, bonoque ac sapiente viro digna. Sed hoc ipsum et summus Pontifex et caeteri omnes cupiunt. Quid igitur inter te et illos interest? tu una via proficisci contendis quam rectam ac tutam speras: illi alia quam rectiorem certe et tutiorem confidunt, progrediuntur. Noli tuum consilium tanti facere, ut judices illud Pontificis caeterorumque judicio praeferendum, neque existimes unum te plus quam reliquos sapere. Multi privati viri persaepe rectius sentiunt de republica quam qui illi praesunt. Non enim omnes, quos in magistratu aut dominio vidimus constitutos, sapientes fuerunt: et tamen eorum sententiae, quamvis perniitiosae atque inconsultae, ratae habentur. Temeritas quoque principum saepius in deliberando sapientum virorum consilio praefertur, si quidem eo in gradu sunt positi ut recte, an secus sentiant, eorum sit

arbitrio obtemperandum. Et Livius ipse scribit. major pars meliorem vincit. Si ergo iniqui etiam principis decreta observantur, quanto magis aequi bonique servanda sunt? dices forsan, principem non recte in hoc sensisse. Licet verum id esset, tamen tuum non est judicare de superiori, aequiusque est Pontificis prudentiae te acquiescere quam Pontificem tuae. Neque etiam tu negabis Pontificum potius quam tuae voluntati parere debere populum Christianum. Si vero hanc, non tuam, sed Costantiensis Concilii voluntatem esse contenderes, memento Martinum Pontificem nullam ob causam et distulisse illud, et mutasse, neque propterea tumultum aliquem consecutum. Respondebis, opinor non solum te esse, sed alios hujus rei auctores. Ego qui caeteri sint nescio: hoc unum scio, nullos adhuc principes eorum, qui vere principes dici possint, misisse Basileam oratores, sed convenisse quosdam vi ac metu, partim cupiditate, partim ambitione, partim spe rerum perturbandarum coactos, qui etiam alios vexant Legatis ut secum coeant. Ut plane suspicer nonnullos non fidei, sed perfidiae gratia convenisse, et arbitrer conventuros. Sed oro te, quem rerum finem tibi proponis? Si reformationem Ecclesiae, a malo quidem capite, ut videor, hoc coeptum est, per inobedientiam videlicet et Pontificis contemptum. Non est reformatio haec, sed deformem fieri; adversari per contumeliam Pontificis mandato, non est ponere pacem, sed gladium in populo; discidiorum semitas investigare.

non est tollere haereses, sed inferre; dividere membra a capite; armare subditos in superiores; serere inter patres dissensionem. Quod quid est aliud quam rursus scindere inconsutilem tunicam Christi? hunc enim finem timeo ex contentionibus vestris. Considera diligenter, quaeso, sententiam Platonis, qui divinitus scripsit ex discordiis principum, civitatis, rerumpublicarum interitum sequi solere. Quid tu, qui es omnibus in rebus prudentissimus, nonne vides duorum maxime principum alterius ambitione, alterius odio hanc totam massam conflari? quae quo animo coepta sit, quo spectet, etiam lippis oculis intuenti satis perspicuum esse potest. Sub velamento Concilii aliud quiddam moliuntur, quod avertat Deus, nisi forsan putas eos ob vitae sanctimoniam, ob pietatem, ob religionem, ob zelum fidei, ob pacem fidelium commoveri. Quae tibi vero laus apud homines, quae merces erit apud Deum, quae postea mentis quies, si dum majus aliquod commodum Ecclesiae concupiscis, maxime illius extiteris causa calamitatis? ad hoc tenditur a quibusdam, hoc procuratur. Quod non dissimulant ex Alemannis quidam palam proferre scissuram Ecclesiae, et alium Pontificem quaerere. Id autem a majoribus quibusdam audivisse se asseverant, et quos notent, minime occultant. Quo manifeste percipi potest hoc opus esse quorumdam, qui vires Ecclesiae ac Pontificum potentiam aegre ferentes, augeri satagunt proprias vires per intestinas nostras tempestates et publica detrimenta. At enim, inquies,

quid reliqui moliantur ignoro; me sola movet publica utilitas; huic vaco; hanc unam perquiro; si quid acciderit secus absum procul a culpa. Vide ne seducaris, vir optime: scio te optima esse voluntate. Sed illud etiam novi non omnium eumdem animum esse. Scio quoque rem, aliter ac putes, posse evadere. Scio difficillimum esse compescere iram, odia, cupiditates. Hoc vero certissimum est solere fieri homines ex licentia deteriores; et cum non omnes unum animum ad Concilium afferant, cum spe commodi, timor etiam incommodi debet esse conjunctus. Itaque debes non tuam, sed Pontificis, sententiam sequi: neque perstare adeo in opinione, ut tuae culpae tribui mereatur si quid acciderit adversi. Caput is est: si quid deliquerit, tuum est quid sentias loqui, et efficere ut sis extra noxam; hoc tantum praestare debet vir sapiens, ut vacet a culpa. Quod quoniam effecisti, reliquum est ut obediens dicto sis: egisti quod fore utile cogitabas. Scripsisti ad Pontificem, multasque praeterea quae impendere videbantur exposuisti conditiones temporum; pericula ostendisti; hortatus es ad Concilii continuationem; functus es officio boni et sapientis viri. At vero Pontifici aliud quippiam magis conducere visum est; rem differre consultius duxit, suum consilium anteposuit tuo: numquid propterea ad arma et vires est confugiendum? idem ipse sapientissimus Plato dixit, vim neque patriae neque parentibus inferendam. Qui autem verior pater quam is qui parentem et auctorem omnium no-

strum repraesentat in terris? quae melior patria quam Ecclesia, in qua salvamur? Numquid quia in sententia perstat pastor propter parvi temporis jacturam, contra parentem et patriam insurgendum est? ambo eumdem finem spectatis, sed itinere diverso: utrum aequius te ne, an Pontificem de via decedere? neque vero mireris si mea verba ad te converto. Tibi enim soli, quaecumque acta sunt, et aguntur, adscribunt: et nisi tanquam signifer et dux, ad quem caeteri confugerent, extitisses, hunc conventum affirmant jam olim sua sponte fuisse dissipatum. Sed quid de te homines, et sentiant, et loquantur, non dimovebit me de sententia, quin credam semper quaecumque egeris, et bona voluntate egisse, et mente optima, tuaque consilia ad publicam tantummodo utilitatem spectare. Illud tamen te diligentissime advertere velim, accuratinsque considerare, an hoc pacto possit, ad hoc quod cupis, publicum commodum pervenire. M. Brutus, cum Cicero M. Antonium vehementius insectaretur, Octavium vero nimis extolleret, scripsit putare se quae ille ageret, bono animo, et reipublicae causa agere; sed parum prospicere in futurum: vereri se ne consilia ejus aliter evenirent. Ita vero accidit: ille idem Octavius, quem Tullius adversus Antonium nimis armaverat, arma ad salutem reipublicae assumpta, contra rempublicam convertit. Consilio igitur viri prudentissimi, ad caetera, Ciceronis, cecidit senatus. At idem scribit rectam sententiam ne invicta quidem causa vituperandam. Sed non est appellanda recta sententia.

ex qua conjectura assequi possit certum discrimen posse proficisci. Quod autem certius discrimen videtur quam populum rerum novarum cupidum adversus edicta principis convocari? nonne per hanc contentionem et contrariarum sententiarum certamen jam ignis succensus est, ex quo queat ingens incendiorum moles exoriri? cogita, oro te, qui homines, quave ex causa multi convenerint; discute mores, affectiones, prudentiam nonnullorum; intelliges profecto horrendum aliquem deteriorem finem. Neque esse hanc materiem, ex qua templum Domino aedificari possis, nisi fortassis te solum lateat quod ore ferme omnium decantatur. Loquor tecum summo cum moerore, quo afficior expectatione futurorum. Nisi tu te retrahas; nisi pedem referas; nisi etiam iis obsistas, vereor ne vulnus pestiferum Ecclesiae infligatur, cui volens postea, cupiensque, mederi nequeas. Certe tunc cum non proderit, incipies mihi aliquando credere, non divinanti, sed ipsis oculis cernenti procellam futuram ex nubibus, quas perlevi vento dissipasses, antequam imbrem infundere coepissent. Sed quod te fallit, existimas caeteros secundum ingenium tuum. Ut quisque enim vir bonus est, ita alios minime improbos suspicatur. At permulti dissimilem verbis animam attulere, qui plus zizaniorum serunt quam tritici. Id, quod nisi ante praevideas, conspicies in tritura. Illud vero prae caeteris me excruciat, quod a milivolis, ut puto, disseminatur in Curia, te hanc tantam curam istius Concilii suscepisse, ut exinde Papa fias; atque adeo men-

tibus nonnullorum haec opinio infixa est, ut avelli nequeat. Neque enim te tam pertinacem in ea re futurum fuisse, nisi ea spe traherecris. Sunt qui hanc suspicionem rationibus augeant: sunt qui id longe a tua virtute abesse contendunt, ego id nego apertissime, neque quicquam magis abesse affirmo a tua sapientia, quam ut per calamitatem Ecclesiae tibi quaeras vel potentiam, vel dignitatem. Haec autem quanquam sint vero contraria, tibi tamen omni ope enitendum est, ut ostendas eos palam mentitos esse qui hos rumores excitarunt. Neque tu mihi respondeas volo, aut finis rerum hoc monstrabit, aut satis est mihi conscientia mea. Nam et illi ipsi dicent; non voluisse te, sed non potuisse, remque aliter cecidisse quam putaveras, et bona etiam coram hominibus sunt providenda, satisfaciendumque iis etiam qui foris sunt; quae si tu contemnis, vide in lubrico verseris. Scis quid narraverim tibi, dixisse me olim Cardinali Sanctae Crucis cum primum ad Curiam accessit; illud ipsum et tibi dictum puta. Si tu me decipis, actum est. Haec eadem narravi Laurentio tuo, utque ad te scriberet, rogavi: sed quia forsan, vel non scripsit, vel remisse potuit scribere, malui videri impudens, quam negligens in significando tibi ea, quae ad te maxime pertinere sum arbitratus. Nullo amore, nullo odio, nulla assentationis gratia motus haec ad te scripsi: sed primum charitate tui, tum timore futurorum. Quicquid tamen sors tulerit, quicquid egeris, ego te semper bono animo egisse judicabo. Scripsi ad te epistolam nuper, in

qua me purgabam de liberis, quod in tua epistola objeceras. Eam, quia postmodum acrior visa est. quam tua ferat dignitas, continui, ne mihi (nam irasci non soles) paulum succenseres. Itaque malui lucubratiunculam perire, quam vel minimum te commovere. Si tamen antea polliceris te mihi remissurum quae scribo, condonaturumque injuriam omnem, mittam epistolam sub hoc salvo, ut ajunt, conductu. Te vero per amicitiam nostram oro, obtestorque, ut hanc epistolam contineas, ne aliunde (non enim omnes aeque judicant) malivolentiam contraham. Commenda me Domino meo Domino Archiepiscopo Mediolanensi perdiligenter. Vale, et mei memor. Qui sim ex stilo cognosces. Romae pridie kalendas Julias (1).

EPISTOLA VIII.

Poggius pl. sal. dicit Nicolao suo.

Epistolam meam tibi placere est mihi admodum gratum; nullam enim capio voluptatem ex meis rebus, licet insulsae sint, nisi cum a te comprobantur, quem scio minime adulari solere. Verum quod scribis, me scribere, electionem Imperatoris coepisse a Carolo Magno, non est a te recte animadversum. Non enim electionem, sed coronationem scripsi tunc exordium sumpsisse. Nam de electione nullum feci verbum, quae a

(1) Anni 1433 absque errore. Vide Historiam Basiliensis Concilii.

Gregorio septimo ut opinor Pontifice, natione Alamanno, paulo ultra tercentos annos fuit instituta. De hac silui inopia historiarum, quas dudum misi Florentiam, ne aliquid incertum affirmarem, de quo non possem certam rationem reddere. Sed Imperator hinc abiit cupiens videre Florentiam. Id si ita erit, magno apparatu suscipietur, magnopere cum honore. Hoc etiam si aliquis vestrum scribet, recte faciet. Legi Pontifici eam partem tuarum litterarum, hoc est totam ferme epistolam spectantem ad moniales; risit, et doluit rerum iniquitatem: dixit, quid mihi agendum videretur. Committendum negotium, inquam, alicui bono; ubi nam is est, inquit? Denique ita discessi, ut si quem dederis comprobatum virum, facturus videatur, quod petis; id est, ut reformetur locus ille. Itaque rescribe, cui, aut quibus videretur is labor injungendus, qui nullam in partem claudicarent. Generalis Ordinis in diem expectatur, is est mihi amicissimus: cum venerit, colloquar secum de hujusmodi re, et, ut agrum illum sentuosum purget evulsis vepribus, hortabor. Imperator non est neque auctor, neque suasor effodiendi collis Pinciani ad thesaurum reperiendum. Sed quidam de suis id in vanum egerunt, non ridente tantum Imperatore, sed deridente. Pontifex prudentior est, qui libentius utitur manifestis thesauris, quam reconditis. Quidam collector apud Graecos defunctus est, ad ejus bona capienda is, de quo loqueris, missus abiit jam mense elapso; in ipso quae doctrina sit, nondum sum expertus: dicit tamen se

eruditum Graecis litteris, et complures se habere auctores Graecos: in Latinis quantum possit, nondum vidimus. Sed in reditu palam erit, quia Secretarius factus est; tot enim agenda incumbunt, ut vix non sufficiant, ad ea onera, quae senex, et imbecillis levissime ferret. Vale, meque ama, atque in his caloribus te domi contine: hoc est, ut experior, optimum remedium ad fugiendam hanc aeris intemperiem. Romae XIV. kalendas septembris (1).

EPISTOLA IX.

Poggius pl. sal. dicit Nicolao Lusco.

Litteras, quas nuper ad doctissimum virum Cincium Romanum, et me misisti, summa cum voluptate animi legi delectatus ingenio tuo quod ultra quam anni ferant, excultum litteris perspexi, et dicendi facultate. Gratulor tibi, et aetati tuae, qui talem naturam nactus sis, ut et patris clarissimi, et eruditissimi doctoris eloquentiam, disciplinamque repraesentes. Equidem video te eo ingenii acumine praeditum, ut si illud colueris diligentia, qua coepisti, mirificos fructus sit nobis allaturum. Hortor itaque te pro amicitia quae summa est mihi cum tuo patre, ut omni cura ac vigilantia, prout coepisti, prosequaris eloquentiae doctrinam, quae tibi in omni vita permagnum afferet ornamentum. Sed et hoc tibi persuadeas volo, ut non solum dicendi facultatem tibi amplectendam putes, sed etiam bene vivendi institutionem, ad quae capes-

(1) Anni certe 1433.

senda omnis tua cogitatio versetur, hoc tibi sit propositum in omni aetate certamen. Summa quidem utriusque rei assequendae necessitas tibi videatur esse imposita, tum propter parentem, tum propter doctorem, quorum utriusque, et virtus et doctrina laudatur. Habes enim parentem virum egregium, atque omni litterarum genere praestantem, cujus laus summa cum dignitate longe lateque diffusa est. Habes Guarinum nostrum praeceptorem, atque institutorem vitae doctissimum, atque integerrimum virum, cujus eam maximam laudem duco, quod virtutis curam semper conjunxit cum studiis litterarum. Ejus doctrina, et mores, nisi tibi ipsi defueris, abunde te instituere poterunt ad omnem et bene dicendi, et honeste sentiendi rationem. Vaca igitur, fili, simul litteris, et virtuti, atque horum imitationem ita tibi propositam arbitreris, ut tamen omnes aperte intelligant, te magis sponte tua erectum, quam imitandi necessitate impulsum ad laudem, et gloriam consequendam. Romae XII. kalendas octobris (1).

EPISTOLA X.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Philelpho suo.

Tardiusculus fui in respondendo tibi, quam rem postulabat, praesertim pusilla, et cui facillime poterat rescribi. Sed ut nonnullos negociorum multitudo saepius retrahit ab officio scribendi; ita mihi e contrario continuum ocium, et ab rebus

1) Anni 1431.

agendis vacatio, qua marcemus, torpedinem quamdam attulit, ut quod diutius non feci, et incipere negligam. Acuitur ingenium exercitio, et acrius fit; ocio vero ignavo pigrescit dormitans, adeo ut ne exurgere quidem curet. Ocium, in quo jam dudum versamur, ad ignaviam rediit: veniam igitur dabis tarditati meae. Audieram antea de libello, de quo a me petis fieri certior, sed nondum videram. Non enim me admodum movent rumores imperitorum in hujuscemodi praesertim rebus, in quibus saepius deceptus sum: sed acceptis litteris tuis statim postulavi libellum, eumque uno spiritu legi, ut viderem, quanti aextimandus esset. Non est neque prohemium in eo, neque auctoris adscriptum nomen: ex verbis tamen suis conjicio fuisse Christianum. Liber parvulus est paulo minor, quam Lelius Ciceronis. Continet autem differentias quasdam verborum quae sinonima videntur; multa sunt in eo superflua, ut qui eamdem rem frequenter repetat, neque magni facienda: nonnulla improbari possunt aperte, aliqua non rejcienda, sed non multum adjuvent; neque enim servantur et diligentia curiosa. Commendandus est tamen quisquis fuerit labore, et diligentia, qui quod potuit attulit ad communem utilitatem. Incipit, *infer polliceri, et promittere hoc interest, promittimus rogati, pollicemur ultro:* sed hoc ex melioribus est. Si volueris eum scribi, ego obsequar voluntati tuae. Vale et me tuum esse persuadeas tibi. Romae XVI. kalendas novembris (1).

(1) Anni 1433.

EPISTOLA XI.

Poggius pl. sal. dicit Nicolao suo.

Casum Cosmi nostri aegre tuli, et summo cum dolore: sed ea conditio est temporum, ut magis tutum sit tacere, quam honestum. Hi sunt exitus factionum civitatis, et popularium jactationum. Siquid querelae prodessent, possem conqueri ejus privatam tempestatem. Postquam vero acta agi, aut mutari nequeunt, aequanimitas adhibenda est, qua feramus hunc fortunae impetum repentinum, consolemurque in iis, quae Dei beneficio supersunt. Sed haec hactenus. Quod scribis, ut intercedam pro Ecclesia illa, quam speras vacare, agam libenter quae sentio tibi placere. Sed credo, quod Ecclesia Arretina non dabitur ei, quem speras, in alium sors cadet: quis is futurus sit, ignoro: plures enim proponuntur, quem vero sperem fore, non est honestum scribere. Mitte mihi nomen viri, quem dicis, et an sit clericus; ut si quando casus accidat, possim pro eo supplicare: dummodo is sit, pro quo possim vel audeam intercedere salva conscientia. Nam cum quid rogo Pontificem, solet exquirere, quid ex conscientia sentiam. Si aperta fronte spondeo de aliquo, de quo compertum sit mihi, exaudit praeces meas, et mihi in multis fidem praestat quia plane intelligit, me vera ex animo loqui, neque intervenire pro re, quam honeste possit negare.

Itaque ex contumacia illa pristina in summam gratiam sum reductus, ita ut plurimum in me confidat. Hoc ob eam rem scribo, ut cum mihi significes aliquid, quod velis a Pontifice, non offendas tuam conscientiam; quia meam sine aliqua exceptione referam ad tuam, quem scio esse virum bonum et minime mendacem. Facta hujus nostrae Italiae video ita implicata, ut timeam plus, quam sperem: hic sunt omnia dubia, neque alibi video esse certiora. Ego parum otii habeo, illud vero colloco, cum possum, in litteris Graecis, avocans animum a praesentium, atque imminentium molestiarum cogitatione. Sed hoc me perturbat, quod in iis, quae addubito, (ea vero plura existunt) neminem habeo, quo cum possim conferre. Tu vale, et me ama. Romae die XVII. octobris. Saluta nomine meo Carolum Aretinum si adest (1).

EPISTOLA XIII.

Poggius pl. sal. dicit Cosmo de Medicis VC.

Quamvis hic tuus gravissimus casus major esse videatur, quam ut verbis consolari possit, hominis praesertim rudis, atque indocti; tamen amor in te meus singularis requirit, ut etiam si mea culpa id, quod cupio, minus fuerim consecutus, malim tamen culpari abs te imbecillitatem

(1) Anno 1433.

ingenii, quam amicitiae officium requiri. Cum enim audierim saepius parva quaedam momenta quandoque ad res maximas plurimum contulisse, non sum diffisus animo, quicquid id futurum sit, quod a me proficiscetur, et si non levationem molestiarum, at saltem legendo consolationem tibi aliquam allaturum. Accepisti ob saevam fortunae iniquitatem, hanc enim culpari impune licet, gravem jacturam dignitatis tuae: qua in re licet ea sapientia, atque animi virtute te semper praeditum esse perspexerim, ut quae caeteri graviter et inique ferunt, tibi ob singularem animi magnitudinem levia viderentur; tamen ex tanta rerum commutatione vereor, ne ut homines solent, majori aliqua aegritudine commovearis. Itaque si adhibes nobis animum constantem, et excelsum, atque hujusmodi fortunae tela despicientem, si plus roboris in virtutis praesidio, quam in bonis fortuitis constituisti: sique ea non pluris existimas, quam quanti sint a viris sapientibus judicanda; gratulor admodum tibi, qui ea sapientia existis, ut aliena non egeas consolatione: Sin vero, quoniam te natura hominem genuit, plusculum te conturbant hae subitae rerum ac temporum varietates, tempestatesque fluctuum, quibus etiam quandoque viri clarissimi succubuerunt; in arcem tibi rationis est confugiendum, existimanti illud imprimis, nihil tibi, quod quidem tuum dici posset, fuisse sublatum. Nam dignitates, imperia, honores, divitiae, opes, valitudo, et caetera generis ejusdem, sunt ejusmodi, ut in ea, et vis fortunae, et inimicorum impetus plurimum possit.

At vero prudentia, magnitudo animi, constantia, probitas, virtus, fides, quoniam nostri juris sunt, nostroque opere non alieno beneficio nobis tribuuntur, nullam externam suscipiunt injuriam, neque ulla vi fortuita labefactantur: quae quoniam tute tibi tanquam tutissima, ac firmissima contra omnes adversarios casus adjumenta praeparasti, magis tuis bonis te laetari decet, quam aliena injuria dolere. Neque vero te ex eorum numero esse novimus, qui totus penderes ex beneficio fortunae, quae quamvis plurima in te sua indulgentia contulerit, et nescio an tantum hoc tempore in quempiam nostrae civitatis virum, tamen multo majora, atque ampliora sunt aextimanda, quae tibi egregia virtute animi comparasti, in quibus nullum jus, nullam auctoritatem sibi vindicare possit temeritas, aut libido fortunae. Tu publicis in rebus deliberandi prudentiam cum agendi solertia conjungens, ea vitae integritate, ea fide semper praefuisti, ut nihil praeter honorem et gloriam domum referres. Quod idem si omnes facerent, tranquilliori rerum statu nostra respublica uteretur. Tu pietatem in patriam, liberalitatem in amicos, in omnes benivolentiam exhibuisti. Tu egenorum praesidium, oppressorum refugium extitisti: tu doctorum virorum fautor, et sublevator fuisti: tu muneribus fortunae ea moderatione, humanitate, modestia usus es, ut non illius officio in te collata, sed virtuti, et meritis tuis attributa viderentur. Praetereo studia litterarum quibus, ab ineunte aetate deditus, magnum decus atque ornamentum doctis viris attulisti:

qui cùm propter rerum gravitatem, quas tibi respublica imponebat, lectioni continue vacare non posses, at saltem eruditissimorum hominum vocibus, quibus domus tua referta erat, aures tuae recreabantur, audiebantque praecepta, atque instituta sapientum, quibus domi, forisque obtemperares. Permagna solet esse consolatio in adversis, confirmatioque moerentis animi, recte factorum, dictorumque conscientia. Bene enim semper sensisse; cum publice, tum privatim honestatem servasse; reipublicae recte, atque ejus commodo consuluisse; in ea administranda fidem, ac pietatem praestitisse; amicos consilio, egentes opibus juvisse; nocuisse nemini, ne injuria quidem provocatum: magnum praesidium afferre debent ad ferendos modice fortuitos casus. Haec animum fortem, atque invictum reddere, auferre moerorem, consolari in adversis solent: haec veram, et solidam in se continent dignitatem: haec te egregium virum, et summum civem constituerunt: haec tibi summam laudem, et immortalem gloriam attulerunt: haec te quocunque ieris, prosequentur, et fortunae donis, et omnibus vulgi favoribus anteferenda. Atque harum quidem rerum possessio quandoquidem ita tua propria existit, ut neque vivo, neque mortuo quidem auferri queat; erecto, atque excelso animo esse debes, tam amplo, tamque ornato conscientiae spectaculo contentus. Quid enim est aliud, in quo vere gloriari possimus, nisi in his, quae nobis virtutum studiis comparavimus? nostra enim ista sunt, nostro opere, cura et vigiliis parta, quae

adversum fortunae impetum ferre leviter, secundum cursum moderate docent. Cum igitur habeas veluti certam, atque inconcussam sedem, in qua tua mens possit consistere, ingens videlicet virtutis et conscientiae theatrum, referas animum volo ad ea, quae tecum extulisti, prudentiam, gravitatem, honesta consilia, rectum judicium, optimi civis nomen, patriae caritatem; cui cum semper ope, et consilio subvenisses, tum vero maxime hoc turbulento motu pietatem erga illam insignem, atque egregiam demonstrasti. Quid loquar de studiis humanitatis, quae maxime esse adjumento solent ad levandas aegritudines animi, atque ad corroborandam mentem vel exemplis, vel sapientissimorum virorum auctoritate? Scis enim disputari ab eis extra omnem fortunam esse animum sapientis; qui cum liber sit nulla in eum vis externa descendit. Virtutem vero summum bonum esse, reliqua perinde haberi; atque ejus sit animus, qui illis utitur. Sed nolo te ex illo sapientum esse numero, qui aut nusquam, aut raro reperti sunt. Tantum a te requiro, ut te unum praestes nobis ex eis, qui secundum communem hominum vitam habentur sapientes; consideresque inprimis, quatenus fortuna in te exercuerit principatum suum. Si enim remota aegritudine mentis discutere tecum ipse volueris, quid illa abstulerit, quidve reliquerit tibi, comperies parum quid nocuisse, aut potius profuisse. Abstulit usum patriae, quam tu ipse sponte saepius reliquisti: at reddidit libertatem; qua ne tum equidem fruebaris, cum liberrimus

omnium viderere. Abstulit inanem quamdam dignitatis spetiem, ac popularem aextimationem vulgi qui semper miserrimum quemque felicissimum putat. At reliquit liberos, conjugem, divitias, sospitatem, exoptatissimum fratrem: quae tibi gratiora esse debent, quam illa, quae ademit, acerba. Abstulit nescio quam civilem pompam, et statum popularem plenum molestiis, laboribus, invidia, vigiliis, et continuis curis: at ea multi viri prudentissimi contempserunt. Harum rerum amissio illis debet videri gravis, quibus bono est, quive ex eis questum facere conantur. At vero tibi, cui ultro propter labores oblata damno atque impedimento erant, minime debet esse molestum privari iis rebus, quas nulla cupiditate tenebas, nulla ambitione assequebaris. Nam magis sublevandae patriae gratia a te publica munera suscipiebantur, quam aut honoris causa, aut spe commodi consequendi. Adde, quod in veram libertatem te fortuna restituit, cum antea premereris iniqua, ac miserrima servitute. Non dormire; non vigilare; non edere; non deambulare; non rei privatae, non amicis operam dare; non vacare animo; non tibi ipsi vel parum indulgere concedebatur; ad nutum aliorum vivendum erat, quid quisque diceret, quid sentiret animadvertendum; indulgendum multis propter voluntatem ne dicam aequitatem; plura simulanda, ac dissimulanda. Vindicavit te ergo in libertatem commutatio haec fortunae, quae haud scio an ultro tibi fuerit exoptanda. Primum ut libero arbitrio potireris, deinde ut amicorum

fidem, vel potius perfidiam experireris nonnullorum, quibus quantum credendum, quantum fidendum esset, fortunae es beneficio consecutus. Tum autem maxime ut eluceret virtus animi, quae multum probari, ac perspici in adversis consuevit. Viderant omnes quanta humanitate, facilitate, clementia, aequitate, modestia tuleras secundam fortunam, in qua etiam sapientiores plerumque prolabuntur. Viderant nihilo te propterea elatiorem, aut impotentiorem factum; sed parem infimis, et aequo jure viventem. Danda ergo tibi fuit, tanquam palestra, fortuita quaedam colluctatio, in qua robur animi expertus ostenderes, etiam te per adversam tempestatem in tranquillum portum posse conscendere. Multi secundum vitae cursum summa cum moderatione tulerunt. At iidem reflante vento debilitantur animo, atque franguntur. Alii adversis in rebus fortes et clari viri evaserunt, qui iidem in secundis diffluunt, et ultra quam ratio postulet, elati fortunae favoribus provehuntur. Te vero neque prosperis rebus inflatum, aut superbientem vidimus, neque contrariis remissum, aut abjectum: sed eadem aequitate, et vultus, et animi utramque tulisse fortunam. Illa vero cogitatio praecipuam vim habere potest ad te confirmandum; neque primum te extitisse, neque postremum fore, qui benemeritus de patria civis fuerit expulsus. Habes repertos historicorum libros eorum exemplis, quos excellentes ac singulares viros inique mulctavit sua respublica, cum ob res bene gestas summa praemia mererentur. Accidit enim, ut qui alienae

splendorem virtutis pati non possunt, ne conspicere quidem velint. Comes quippe laudis, et gloriae habetur invidia, quae eos semper torquet, qui ad eamdem honoris amplitudinem accedere non valent, ut quos virtute imitari nequeunt, obtrectatione conentur ac malivolentia insectari. Quo fit, ut paucissimi praestantes in republica viri effugiant civilium fluctuum tempestates. Nolo insistere domesticis exemplis, ne quam offensionem contrahat oratio. Attamen si quis praeterita tempora scrutetur diligenter, inveniet plures egregios cives invidia et contentione civili magis, quam culpa, e suis civitatibus fuisse ejectos. Sed non fuit nostrae solum civitatis haec labes, et igniominia; verum aliarum quoque, quarum facta, summopere admiramur. Respublica romana, ut de Graecis sileam, ac Barbaris, etiam tum cum omni virtutum genere florentem annales describunt, hoc morbo ingratitudinis laboravit. Referam paucos, quo sermo effugiat satietatem. Non tulit sua aetas neque virtute, neque probitate, neque rebus gestis Furio Camillo superiorem: hic tamen tribunorum, et plebis iniquitate pulsus in exilium abiit et quidem eo tempore, quo maxime patria suo auxilio egebat. Quid egerit superior Africanus in patria ex faucibus Hannibalis liberanda; qua fuerit animi moderatione; qua continentia, et morum gravitate vixerit, non est ignotum tibi; hunc tamen tribunorum insania exulare coegit. Publius Rutilius integerrimus vir fuit, ac sanctissimus, quem quia justior videretur quam vulgi opinio ferret, urbe ejecerunt, cujus in hoc

praecipue claruit virtutis splendor, quod cum ei per Syllanam victoriam liceret in patriam redire, perpetuum sibi exilium elegit, recusans in eam urbem reverti, in qua plus arma, quam leges valerent. Nequitia Clodii conservatorem patriae expulit M. Tullium Ciceronem, quem postea gloriari solitum accepimus, se Italiae humeris in patriam reportatum. Quamplures praeterea historiae memorant summos ac clarissimos viros similem exitum sortitos. Sed hos quatuor tantum retuli, ne mireris casum tuum, cum videas tot patriae conservatores, talia suorum meritorum praemia reportasse: quibus licet neque fama hominum, neque gestarum rerum gloria par existas, eamdem tamen ingratitudinis gloriam perpessus, parem quoque laudem una in re tibi, et tuis posteris peperisti. Hoc enim tuis meritis ad sempiternam hominum famam censeo adscribendum. Quod cum praesensisses, quid adversus te statueretur, obtemperare tamen summi magistratus imperio satius duxisti, quam aut obsistere, aut aliqua ex parte rempublicam conturbare. Cum enim, ut plures ferunt, potuisses vel armis, vel favore populi vim paratam propellere, rectius esse putasti, accipere, quam propulsare injuriam. Et quoniam civiles motus nequaquam eos, quos nonnulli sibi proponunt, exitus sortiuntur, more superiorum, quos retuli, consulens quieti patriae, et civium tranquillitati, prudenti consilio passus es potius hanc repentinam procellam, in te, tuosque solos descendere, quam quempiam excitare tumultum, quo civitas in aliquod

gravius discrimen posset adduci. Quo uno facto non solum nostrorum, sed priscorum quoque hominum gloriam coequasti. Quid enim laudabilius, quid saluti hominum accomodatius, quam velle periclitari solum, ut caeteri ab imminenti tempestatum periculo salvarentur? Ea unica est virtus, quae alias omnes exuperat, consulere communi ocio, et paci. Hoc boni viri, et praestantis civis officium, publicum bonum anteponere privato. Hoc acceptissimum patrocinium, se unum pro patriae salute occumbere malle, quam multos perire. Hae duce virtute cum plures aliae crevere, tum vero maxime romana rerum potita est. Praeclarissimarum ergo virtutum praesidio septum non succensere, sed gratulari te potius fortunae decet, quae illas exercendo excitavit, atque in illud certamen eduxit, quod tibi summam laudem praeberet, et gloriam sempiternam. Quae quidem duae res cum viris bonis sunt maxime appetendae, virtutis enim existunt praemia, fruere bonis tuis tranquillo ac pacato animo vivens; atque ubicumque fueris, ibi patriam, ibi dignitatem, ibi rempublicam esse putes, et quidem eo meliorem, quo diuturnior, ac firmior sit futura. Vale et parce verbositati meae, quae a magna mea erga te benivolentia profecta est. Romae (1).

(1) Ex epistola antecedenti clarum apparet hanc scrip[illegible]isse mense et anno eodem. Atque ipsa Historia hanc adjuvat opinionem, [illegible] indubium est Cosmum Florentia evasisse die tertia Octobris anni 1433.

EPISTOLA XIII.

Poggius pl. sal. dicit Guarino Veronensi V. C.

Optimus adolescens Nicolaus Lascus discipulus tuus scripsit litteras parenti, in quibus narrat quemdam hominem nobis notum ad te venisse, attulisseque nescio quem libellum, quem composuerat in laudem, sive defensionem Sectae Epicureorum; quaesisse insuper a te, ut aliquid ederes in laudem sui operis, idque a te recusatum. Addidit illum tecum multa collocutum de me, deque Antonio Lusco, ac Cincio cum detractione nostra. Quod ego minime sum admiratus, qui novi mores illius, ac loquendi arrogantiam. Illud admiror, unde tanta philosophandi doctrina illi innata, seu potius divinitus sit infusa, ut Sectae jam multis saeculis obliteratae, et pene sepultae, atque ab omnibus philosophis reprobatae, patrocinium hic novus Apollo sibi sumpserit, qui ne minimis quidem labiis aliquam partem nunquam attigit philosophiae; sed omnia stultitiae patere videntur. Non est mirandum eum, qui Ciceronem arguit in arte dicendi et oratoria facultate, Aristotelem quoque, ac reliquos philosophiae antistites velle reprehendere. Legit enim apud Ciceronem, postquam verecundiae fines transieris bene et graviter oportere esse impudentem.

Hunc vero a te rejectum, et contemptum tanquam ridiculum hominem scribit Nicolaus.

Cupio tamen a te ipso hoc, quicquid est, latius scire. Itaque te rogo majorem in modum, ut ad me perscribas hunc suum, quem tecum habuit, primum ingressum, et collocutionem: tum vero quid de homine sentias, et ejus doctrina, moribusque. Et si quid de eo caeteri sentiant, percepisti; nam Papiae aliquandiu fuit: etiam perscribe, atque id vere, et ex animo facias, ut quamprimum mihi nota sit tua de hoc homine sententia. Quanquam vereor, ut jocari incipiam, ne cum illo conspiraveris. Ut quemadmodum Triumviri sibi imperium Romanum quondam partiti sunt, ita nunc quatuor viri, quorum tu unus es, musarum, et achademiae regnum sibi solis partiantur exclusis reliquis, qui si saltem in familia non inhonestum locum tenebunt, satis erit, dummodo non verrant, neque ungant. Ait quidam hujus viri multis adstantibus affinis, quator esse in Italia solos Latinae Linguae principes: primum Leonardum Arretinum posuit: secundo loco te designavit: tertia in acie hunc nostrum collocavit: quartum attribuit nescio cui Lombardo. Atque hoc astute a te fabricatum puto: ut cum duabus rebus summa gloria partiatur hominibus, armis scilicet, et Litterarum scientia, quo in loco olim Romani imperii per triumviros partitio facta extitit, nunc eodem a quatuor. Quoniam quidem imperii non licet, montis Eliconis sortitio, atque haereditas dividatur. Ab hoc enim nostro, de quo sermo est, existimo hanc et constitutam, et praescriptam esse divisionem eorum, qui in orbis terrae domicilio litterarum obtinent

principatum. Fac ergo, te oro, ut quemadmodum tunc Mecenati, et Pollioni apud Augustum summus dignitatis locus fuit, ita nobis amicis licet indoctis aliquem gradum honoris apud te esse liceat; nam ab illo scio me exclusum iri velut mordacem hominem, et qui multorum ineptias non possum ferre. Sed cum novem musae a poetis esse dicantur, ii vero, quibus sortitio earum contigit, quatuor existant, duas quilibet sortientur, nona ne discerpatur; quod esset iniquum nobis aliis, qui in vulgi numerum adscribimur; oro relinquite integram, atque incorruptam; hanc nos hebeti ingenio, atque imbecillo intactam, postquam ita libet, relinquentes, proculque adstantes venerabimur, et colemus ut Deam, et maximi muneris loco ducemus, si quando vestimentorum fimbrias contingere licebit. Sed jam satis jocati sumus. Communices has cum Francisco nostro Barbaro, ut ipse quoque rideat hunc vestrum quatuorviratum. Vale et me ama. Romae XVIII Octobris (1).

EPISTOLA XIV.

Poggius Cosmo de Medicis salutem.

Hjeronimum de Bardis dilexi semper ut filium, tum propter vos, tum quia visus est mihi cupidus bene agendi: humanissimus quippe est adolescens, et bonae indolis. Ipse est mihi testis

(1) Anni 1433.

me semper exhortatum esse eum ad honestatem, et virtutem, neque pepercisse objurgationi, etiam si quando, ut adolescentes solent, lapsus est in rebus leviusculis. Sentio autem nunc eum incidisse nuper in errorem quemdam; si ad aetatem referas, gravem; si ad rem non magni aextimandum: praesertim cum error fuerit, non vitium; qui tamen ne in mores transeat, verbis castigandus est, sed ita, ut odio criminis melior fiat. Video eum poenitere errati sui, faterique ingenue culpam, et castigatione dignum profiteri, quae sunt optima pudentis animi signa, et errore suo dolentis. Ego illud objurgavi vehementius, non dissimulat peccatum, neque excusat excusationem peccati, sed signa poenitentis ostendit, asserens emendaturum se delictum suum, tibique, et famae suae satisfacturum. Non commendo eum tibi: neque enim est opus: sed rogo ne aspera nimis censura in eum utaris, itaque animadvertas hanc culpam, ut emendatior fiat. Omnis enim poena ad utilitatem delinquentis constituta est. Labuntur, ut scis, etiam firmiores, et aetate matura, ut ignoscendum sit aetati tenerae, si ulterius non progrediatur culpa. Credo te recte facturum, si eum remiseris, ne hac infamia accepta tanquam pro malo repulsus infirmos mores ad pejora consilia convertat. Qui enim non ex malitia, sed imbecillitate labuntur, erigendi ac sublevandi sunt, non propellendi, aut dejiciendi. Sed nimis multa, tibi praesertim; qui es omnium sapientissimus. Haec charitate motus scripsi, quae veluti a Poggio

in bonam partem accipias volo. Vale. Romae XXVIIII Novembris (1).

EPISTOLA XV.

Poggius pl. sal. dicit Viro Clarissimo Antonio Cremonae.

Est mihi frequens, ac jucunda consuetudo cum praestantissimo Patre, et Domino meo Episcopo Laudensi, quem ego observo, ac colo diligenter, tum propter morum suavitatem, tum propter communium studiorum conjunctionem. Est enim vir cum omni doctrinae genere excellens, tum vero deditus studiis humanitatis, a quibus ego non sum alienus. Accedit, ut me quoque diligat, habeatque loco filii, neque me excipiat fastu quodam, ut multi solent quos adimus, sed summa cum humanitate, ac benivolentia; quae res reddidit me sibi admodum familiarem, cum et ego illum frequenter conveniam, et ipse me veluti sibi deditissimum complectetur. Is cum saepissime te multis laudibus inter loquendum extulit, tum vero maxime nudiustertius cum Leonardus Carolusque Arretini, Nicolaus de Nicolis viri omnium doctissimi, egoque una apud Episcopum pranderemus. Nam te studiis deditum eloquentiae, sommo ingenio, suavissimis moribus, exquisita doctrina praeditum pluribus verbis retulit, adeoque in tua

(1) Anni 1433.

commendatione immoratus est, ut omnes ad tuum nomen excitaremur, diligeremusque te incognitum, et absentem. Tanta est enim virtutis vis, ut nosti, ut etiam ignotos, in quibus ea commendetur, nos provocet, atque impellat ad amandum. Ego autem licet iis, quos retuli, nulla in re sim comparandus, aequabo tamen omnes affectione erga te, et charitate, quam ut cognoscas, quamprimum exaravi ad te hos versus tanquam voluntatis meae judices. Ea est, ut te diligam deinceps, carumque habeam: quod ut fiat mutuum, te vehementer rogo (1).

EPISTOLA XVI.

Poggius pl. sal. dicit Domino Juliano Cardinali Sancti Angeli.

Timens dudum, reverendissime pater, futuras nostras calamitates, atque animo prospiciens, tum nostra illa divinatione, tum vero certa quadam conjectura eas tempestates, quarum jam magna initia videmus, scripsi ad te epistolam perlongam, ita enim res postulabat, quam minime ad te misi, veritus non tuam (neque enim id mores tui patiuntur) sed temporum indignationem. Licet enim nihil me moverit ad scribendum praeter publicam utilitatem et causam communem, dubitavi tamen

(1) Deest loci nota, mensis et anni: sed scripta videtur anno abeunte Millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, sive subsequente ineunte.

ne qui aliter existimarent, et, vel adulandi, vel benevolentiae captandae gratia, a me scripta arbitrarentur. Tu vero testis es mihi, et permulti alii esse possunt, longe me abhorrere hoc vitii genus. Neque enim unquam mea tulit natura, ut vel assentari, vel mentiri possem, aut honoris gratia aut utilitatis; nocuitque aliquando mihi libertas verborum, nihil dissimulare, aut simulare cupienti. Sed cum scirem dissensiones potentiorum solere esse periculosas, vestras autem periculosissimas, utpote secum pernitiem etiam animarum trahentes, legissem quoque, atque audissem saepius, parva quaedam contentionum momenta ad maxima odia ac certamina evasisse, et rerum publicarum eversiones, timebam ne haec nova inter principes sacerdotum concertatio aliquod majus periculum excitaret, cui neque tu cum velles, neque caeteri possent obsistere. Nam principia rerum agendarum in nostro arbitrio sita sunt, cum adhuc re integra deliberandi et consulendi facultas datur; ubi vero negotium coeptum est, rerum humanarum imperatrix fortuna eventum exitumque dijudicat, ac metitur magis ex libidine, ut inquit Sallustius, quam ex ratione, neque enim cum prolabi coeperis, non in tua est potestate ubi velis consistere. Nostrum est discutere in portu consistentes, an navem solvamus; cum autem te ventis commiseris, etiam invito, est eorum turbini ac viribus obtemperandum, ut vel naufragium facere gubernator, quamvis optimus, cogatur, vel quo venti ducant non repugnantem proficisci.

Haec me olim praemeditantem compulerunt, ut ad te scriberem sponta mea, nullam aliam ob causam commotus, nisi ob communis patriae charitatem. Dolebam enim, qui tam longo tempore in Curia vixissem, in eum locum res nostras cogi, ut citius timere, quam sperare aliquid possemus, quod quidem me maxime angebat. Non enim, ut plures fecerunt, adeo rei quaerendae hactenus intentus fui, ut privato peculio suffultus possem objicere curam publicorum incommodorum. Vellem digne adnumerari inter eos, quorum jam moenia surgunt, quibus parta quies, nam quamvis conturbarer publicis Ecclesiae nostrae adversitatibus, paterer tamen aequabilius nonnullos versari in his malis, quae ipsi sibi suo studio praeparassent: quorum, ut aperte loquar, inepta consilia etsi non riderem, ut Democritus ille solebat, ferrem tamen levius quae essent a mei ipsius incommoditate sejuncta. Verum nunc duplici torqueor moerore. Cum enim duas habeam patrias, alteram civilem, alteram, quam mihi industria comparavit, non potest ruina unius, quae jam imminet, semota esse ab alterius calamitate. Et certe in id discrimen jam res deductae sunt, ut parum proficere consilia hominum posse videantur. Excitatum est enim incendium quod non nisi maxima ruina extingui queat: ut satius fuisset nunquam istoc Concilium congregari quam ejus opere subsequi Italiae vastitatem. Jam in parte ejus castrorum atque oppidorum direptiones, caedes, incendia, rapinae, spolia, miserarum virginum raptus, stupra, caeteraque nefaria

facinora, quae libido militum perpetratur, ante oculos quotidie obversantur, ut dolendum sit maxime ac deplorandum nobis, Spiritum Sanctum (si tamen is usquam apud nos est) adeo immutasse naturam suam; charitatemque ac dilectionem, ex quibus totus est, in odium ac malivolentiam convertisse. Nimirum diu visum est quibusdam Italiam a bellis quiescere, quorum consilio id actum est, ut rerum novarum cupidis subministrarentur arma, quibus possent ulterius progredi, quam communis quies et utilitas postulet. Levem enim aegritudinem pestifero morbo curare voluerunt. Nam licet multa dici potuissent apud nos curatione indigere, non tamen ea erat infirmitas, ut ense et armis essent in hunc modum curanda: nisi forte laudandum est velle errorem quempiam majori errore corrigere. Verum his finis erit quem fata dabunt. Unum id conspicio futurum, ut vestris spoliis alii exornentur, alii opprimantur. Sed de vobis parva cura est mihi. Italiae calamitas me movet, quam video subsequi, nisi Deus providerit, per oppressionem hanc nostram et alterius ambitionem: cui si libuerit, quantum licet, recte quidem erit. Haec cum viderem prodire ex eo fonte a quo jam antea suspicabar, decrevi mittere ad te epistolam, ut cognoscas me non injuria motum voluisse tunc communicare tecum opinionem meam, et pericula ostendere quae videbantur futura. Tu neque priores litteras neque has posteriores aegre feras rogo: si es extra noxam aliis dictum puta: si quid te fefellit, dilige loquentem tecum ex animi sententia, aut quid ipse

existimat, aut quid alii arbitrentur. Nam quamvis in dignitatis gradu te virtus tua collocarit, hominem tamen te esse scio, quem nonnulla fugiunt, multa latent; ut neque omnia advertere possis, neque omnia cognoscere. Vale, et me ama ut soles (1).

EPISTOLA XVII.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Philelpho.

Scribis ad me certiorem te factum ineptias, et deliramenta quaedam adversus Philelphum divulgari per homines stultissimos, et me eorum dici auctorem. Ego quid stulti divulgent, aut loquantur, neque curae mihi fuit unquam, neque erit, neque etiam scio quid ii de me dicant. Unum scio, quicquid id sit, quod deliramenta, aut ineptiae appellari possit, non esse meum, qui vel delirare, vel ineptus esse non consuevi: nec ita, ut opinor, sum rudis, atque rerum inops, ut quaeram adjumenta stultorum ad divulganda scripta mea, quae edere, et tueri satis ipse novi. Quod me non existimas temere ad maledicendi arma cucurrisse, vere, et recte arbitraris; nam et jam senex satis commode possum currere, et temeritatis culpam semper effugi, cum ita ad hanc diem vixerim, ut nihil egerim, de rebus loquor gravioribus, cujus non probabilem ratio-

(1) Refertur haec ad epistolam septimam hujus libri, et missa una cum illa videtur mense januarii anni 1434 ex Florentia, ubi Poggius initio anni hujus erat. Vide Vitam Poggii.

nem possim reddere. Si contumeliam ferre non consuesti, cogites quoque et aliis suum esse ingenium, qui non minus quam Philelphus contumeliam abhorrent. Non autem ita imperiosus sis, ut tibi conviciandi, maledicendi, obtrectandi licentiam concessam velis; caeteris vero se tuendi, aut maledicta tua rejciendi facultatem ademptam. Quod vero vis ut me purgem, vel accusem, neutrum neque enim est opus libet facere. Nam et satis sum mundus, et valitudine prospera, ut purgatione aliqua non egeam; et accusare me tanquam alicujus erroris aut criminis reum, a quibus longe absum, stultissimum videretur. Quod ad te vis deferri, si quid adversum te sit scriptum, id eorum cura sit ad quos hoc spectat: nam mea id minime refert. Quod postremo non cupis meas inimicitias, neque ego itidem tuas, daboque operam, ut nullus mihi jure possit esse inimicus. Nam ego ita didici, non homines, sed vitia odio esse habenda. Tu qualiscunque sis, et animo, et corpore recte valeas opto. Florentiae die XIV Martii (1).

EPISTOLA XVIII.

Poggius magnifico Domino suo Domino Leonello de Este Equiti.

Cum essem hodie in secretiori aula Summi Pontificis una cum egregiis quibusdam viris, in

(1) Anni 1434.

quibus erat vir praestans, atque omni laude dignus Omiliadus frater tuus, ac Feltrinus eques Ferrariensis, doctrina et dicendi copia excellens, inter loquendum incidi in eum sermonem, ut laudarem multis verbis Titum Livium Patavinum, eumque omnibus historicis, et Latinis, et Graecis dicerem praeferendum. Nam ne apud Graecos quidem reperitur quispiam, qui tanta elegantia, et gravitate sermonis septingentorum annorum tam amplam materiam scribendi, tam diffusam, tam variam, tam magnificam, et populi omnium gentium domini ac victoris, res pace et bello gestas fuerit complexus: quae adeo excellentes, et egregiae extiterunt, ut omnibus omnium aliarum nationum populorum, regumque longo intervallo anteponenda esse videantur. Sentiat Plutarcus quid velit, et Graecos Latinis comparet: tamen nequaquam illos adeo extollere verborum magnificentia potest, ut non excellant nostri inter suos, et veluti heroes inter alios judicentur. Cum igitur Feltrinus meam sententiam comprobaret, subdidi maximum lucrum accessurum latinis litteris, si reliqui ejus libri reperirentur, quod ego facile futurum esse arbitrabar. Cum ille haec tanquam vana existimaret, dixi non tantum moveri me iis, quae nuper intellexeram prodire a Mantua, quantum assertione cujusdam docti viri, qui olim in urbe pluribus aliis, mihique narraverat, se Decades Livii decem vidisse, ac legisse in monasterio quodam in Patria, quo in loco eas esse hunc alterum postmodum retulisse dicunt.

Is fuit Nicolaus quidam natione Gothus vir vagus, atque inconstans, licet admodum eruditus, qui sancte juravit esse in quodam Monasterio ordinis Cisterciensium tria pergrandia volumina, et oblonga conscripta litteris Longobardis, et nonnullis praeterea gothicis intermixtis, in quibus continerentur decem Livii Decades, quarum capita ipse legisset. Atque hoc ita asseveranter affirmavit, ut eidem fidem haberem, praesertim cum non esset illi aliqua causa tam impure mentiendi. Itaque perfacile adducor, ut existimem eas Decades ibi esse, cum nunc quoque alius testis horum librorum reperiatur, qui se quoque Decades omnes vidisse asseveret. Hoc, ut ad te scriberem, summopere Feltrinus rogavit. Itaque veluti argumentum epistolae nactus sumpsi, et quidem libens, occasionem ad te scribendi, praesertim cum idem mihi asseruerit, te studiis deditum humanitatis, Guarini nostri doctissimi viri opera jam doctum, atque eloquentem evasisse. Quod eo mihi gratius fuit, quo pauciores sunt, de potentioribus loquor, qui vel literarum studiis delectentur, vel doctis viris. Et si verum fateri volumus, excepto praestantissimo, atque excellentissimo principe parente tuo, qui complures doctissimos homines ad se conquisivit, nullos, vel paucos dominos in Italia reperies: nam apud exteros potus, et cibi potius, quam doctorum ratio habetur, qui vel sint liberali aliqua disciplina imbuti, vel eos, in quibus illa vigent, aliquo honore dignentur. Atque haec quidem causa est potissima, cur multa perverse

a principibus agantur, cum neque ipsi sapientiae studere velint, neque colant sapientiae studiosos. Quamobrem gaudeo ipse mecum, tibi vero gratulor, qui tuam adolescientiam non corporis illecebris, aut voluptati, ut multi mortalium, dedicasti, sed studiis et doctrinae. Quae quoniam ad vitam bene agendam, hoc est, ad virtutem et honestatem maxime conferunt, persevera, oro, ut coepisti, et mentem revoca ad ea, quae excelsum et praeclarum possunt reddere. Nam si quem decet vacare studio virtutis, principem maxime oportet illius consequendae curam praecipuam habere. Turpe est enim ab iis, quibus opibus et potestate praesis, virtute, aut sapientia superari. Et quamvis consilia amicorum plurimum soleant conferre potentibus ad deliberandum, atque agendum, tamen non egere alterius consilio, quid sit utile, quid honestum, quid liceat, quid expediat per se ipsum cognoscere, praeclarum atque egregium haberi solet, et supra communem hominum facultatem. Quare incumbe quaeso, atque invigila bonarum artium studiis, quae tibi multarum rerum copiam subministrabunt, per quae possis ad summam laudem, et gloriam pervenire. Ego tuus sum, licet pusillus. Vale. Florentiae IV Nonas Maii (1).

(1) Anno 1434

EPISTOLA XIX.

Poggius pl. sal. dicit Leonello Estensi virtutis cultori.

Nonnullis factum est occupatiunculis meis, ut tardius quam vellem, responderem litteris, quas ad me perhumaniter, atque amice scripsisti. Magnum sane praemium, atque acceptissimum nulla impensa sum consecutus. Quid enim mihi carius, quid optabilius esse potuit, quam tanti, ac talis viri benivolentia? Itaque gaudeo majorem in modum me ad te scripsisse, quod mihi tantum lucrum attulerit, quanquam non mea epistola, quae minimi est aestimanda, sed tua singularis humanitas, et praestans animi natura mihi praestitit, ut me inter tuos non dicam amicos (nam id est nomen gravissimum, et in tam dispari fortuna vix potest cadere) sed obsequentes, et benivolos adnumerari velis. Sunt profecto appetenda, atque amplectenda studia humanitatis, quibus ad dilectionem hominum, ad amorem conciliandum, ad ipsum virtutis cursum permaxime incitamur. Horum in institutione, et cultu, cum te intelligam plurimum diligentiae, atque operae posuisse, gratulor non solum mihi, sed aetati quoque nostrae, in qua is princeps exortus est, qui et litteris nostris sit magnum lumen allaturus, et doctis viris futurus adjumento. Elucebunt enim studia nostra collocata in tam egregio, tam excellenti ingenio.

Viri quoque discendi cupiditate incensi acrius incumbent doctrinae studiis, cum existimabunt sibi in tua virtute subsidium certissimum, et tutum refugium constitutum. Mirum est videre, mi Leonelle, quantum haec studia humanitatis, hoc est moralis philosophiae ornamentum, obsolescant penes principes, ac dominos nostros. Rari vacant litteris, et si qui ad eas se contulere, ii omnes deferuntur ad eas facultates, quae aut opes, aut dignitates, aut quaestum aliquem pollicentur. Nostra haec pauci sequuntur, et soli, qui egregia quadam animi indole elati, majorem virtutis, quam externarum rerum curam susceperunt. Sed quo hoc rarius videmus contingere, eo habetur laudabilius, in magna praesertim fortuna, in aetate adolescente, in vita occupatissima, in summa rerum licentia, quae etiam corroboratos quandoque labefactare solet. Non humani, sed divini potius ingenii esse videtur inter tot curas, tot occupationes, tot audiendi, respondendique molestias, quae animum tuum distrahunt, te tamen tantum discendi studio assecutum, ut eos, qui in eo universam aetatem consumpsere summo cum otio et quiete, elegantia et dicendi copia antecellas. Audieram de te multa variis ex hominum sermonibus, sed existimabam illos aut adulandi, aut extollendi, ut fit, causa, aut quod ita propter suam in te observantiam putarent, paulo progredi longius, quam veritas postularet. At vero perlectis litteris tuis, et tua, ut Scipio noster testatur, manu conscriptis, longe te superiorem illorum sermonibus judicavi. Nihil his

litteris elegantius, nihil ornatius, nihil mundius dici potest. Itaque nullus est jam mihi relictus exortationi locus, sed laudi potius, et gratulationi: non enim nostrorum hominum, sed priscam illam et probatam dicendi suavitatem atque eloquentiam repraesentas. Fruere igitur hoc tuo immortali bono, quod et Dei benignitas dedit, et tute tua industria comparasti. Vale et me ama. Florentiae pridie kalendas Julias (1).

EPISTOLA XX.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco Ferrariensi.

Cum Scipione nostro Ferrariensi, quem non solum diligo sed etiam amo propter suam humanitatem, et doctrinam, est mihi frequens et jucunda consuetudo. Sumus saepius una confabulantes variis de rebus, ut fit aliquando inter ociosos: saepissime vero cum ipse sit vir eruditissimus, incidit inter nos sermo de viris doctis, et eloquentibus, inter quos te unum esse asseverat, asseritque te non solum litteris deditum, quod ipsum magni est aextimandum, sed, quod plurimi facio, suavissimis moribus, et virtute praeditum. Quod autem mihi admodum placet, testatur inter caetera te amantissimum mei: qua re sum equidem majorem in modum delectatus. Nihil est, mi Francisce, quod

(1) Anni 1436

magis appetam, in quo magis consoler, quam habere quamplures mihi benivolentia, et charitate conjunctos. Est enim, ut scis, jucunda atque opulenta possessio, diligi a multis, et carum haberi, ab iis praesertim, qui et ipsi digni sunt ut diligantur propter suam virtutem. Complector itaque toto animo, ac pectore, ut ajunt, propensum tuum erga me amorem, quem mihi, et voluptati, et ornamento existimo esse futurum. Hoc scias volo, me tuum esse, daturumque operam, ut quod tua sponte coepisti nullo meo in te officio adductus, deinceps mea in te observantia, ne dicam merito, sis facturus. Vale, et me ama. Florentiae pridie kalendas Julias (1).

EPISTOLA XXI.

Poggius pl. sal. dicit Cosmo de Medicis V. C.

Quoniam, mi suavissime Cosme, te olim patriis pulsum laribus absens, litteris sum consolatus, nunc quoque, cum sis decreto publico revocatus in patriam, praesenti tibi gratulari praesens hac epistola institui; ut moerosis praeteriti, quo et ipse particeps fui, memoriam praesentis gaudii modestia consolemur. Et quidem necessitas tum coegit, ut quod sermone agi nequibat, scribendi officio assequi conarer. Nunc vero sponte mea, cum te alloqui liceat, decrevi litteris prosequi hanc nostram

(1) Anno 1434.

gratulationem. Cum enim collocutio ad paucos pervenire soleat, citoque verba praetervolent audientium aures, visum est mihi rectius, ut ad alios quoque qui nostris insulsis epistolis delectantur, hujus gratulationis officium perveniret. Verum exquirenti mihi, atque animo versanti, quo maxime modo mihi ipsi satisfacerem in hoc munere suscepto, dubitatio quaedam suborta est, et ea haud quanquam parva, quae nam praecipue res esset, in qua tibi potissimum gratularer. Nam multa tibi intelligam uno tempore restituta, et ea quidem egregia, ex quibus homines summa afficiuntur animi voluptate: illa tamen conditione existunt, ut in casus et fortunae arbitrio, ac dictione sita esse videantur, nullaque in his solida ac certa inesse possit gratulatio. Domus enim, opes, dignitas, amplitudo, honores, summus in civitate locus quamvis plurimi judicentur, sintque ampla et praeclara homini praesertim rempublicam gubernanti, tamen ut ab aliis conferuntur, ita possunt etiam auferri: ut si quis ob eam causam laetari velit, etiam meditari ipsum deceat, moerorem quoque ejusmodi rebus posse conjungi neque in ipsis diuturnam, sed temporaneam quamdam, ac fragilem debere adjici gratulationem. Itaque cum in earum rerum commemoratione, quas populus Florentinus una tibi restituit, longa possem versari oratione, et in iis varias congratulandi rationes exquirere: majus est tamen quiddam, et certius, quod quaerimus, ex quo veram gratulandi materiam arbitrer esse eliciendam.

Id enim es profecto in hoc tuo reditu consecutus, quod nullus eorum civium, quos prisca aetas, aut nostra tempora tulerunt, quos quidem similis tempestas jactaverit, unquam fuerit adeptus. Nam cui eorum, quos legimus, audivimus, vidimus gloriari licet se tanto omnium ordinum consensu, tanto civium plausu, tanta singulorum laetitia, tanto communi gaudio restitutum? Nihil unquam civitas egit libentius, nullus unquam tam diligens sui commodi conservator fuit, quam tui reditus procurator nullus in sua dignitate retinenda studiosior, quam in tua restituenda. Una mens atque opinio erat omnium civium, non tuam, sed propriam cujusque salutem in medio versari, pro qua retinenda etiam animas ponendas esse existimarent. Lege sive Graecos, sive Romanos libet: neminem sane reperies uno dumtaxat excepto Marco Tullio Cicerone, qui sit tibi hac laude comparandus, ut tibi soli post multa saecula gloriari licitum sit, id quod Ciceronem praedicare solitum ferunt, te Florentinae Urbis humeris in patriam reportatum. Ea quidem sua sponte te accersivit: ea ad te revocandum omnes suas vires effudit: ea declaravit se salvam sine te esse non posse: cum maluerit cum suo discrimine te redire, quam diutius ferre desiderium tui. Hanc ego ad te revocandum communem omnium affectionem: hanc civium erga te benivolentiam: hunc plebis consensum: hoc ardens studium populi: hanc pubblicam tui videndi cupiditatem omnibus honoribus, triumphis, imperiis censeo praeferenda:

haec enim etiam viri flagitiosi persaepe assecuntur: illa bonis artibus comparantur. Multi e nostris civibus, et recenti, et superiorum memoria exacti quondam patria extitere. Quis simili gloria est reversus? quis non aut prius quam rediret, diem suum obiit? aut non rediit post tempus praescriptum, vel summis precibus, et studio suorum, vel nulla majori populi admiratione? Tu unus: cum vero de te loquor, et fratrem quoque tuum Laurentium praestantissimum virum appello, te inquam unus post hominum memoriam novo more, inusitato exemplo vix anno exacto, cum decennii exilium esset praefinitum, revocanti patriae es redditus, exoptantibus civibus nulla tua dedita opera restitutus. Caeteros similem casum perpessos multorum preces, atque intercessiones focis patriis reddiderunt: te unum nullius precibus sua sponte nil tale cogitantem ad se confovendam civitas revocavit. Reliqui, etiam si civitas restituta est, dignitate tamen atque auctoritate pristina caruerunt: tua vero dignitas atque auctoritas amplior est effecta: Aliis tempus statutum expectandi necessitatem leges imposuerunt: tibi ante tempus ut adesses respublica imperavit. Reliquorum absentiam tulit aequo animo civitas: tui absentis virtutem summo studio concupivit, et ad te erigendum publicam mentem, curamque convertit. Itaque cum ii essent in supremo magistratu, quibus tua salus cara esset, rei vero publicae carissima, se caeteris bene de republica sentientibus duces ac signiferos ad publicam causam praebuerunt. Quo facto

omnes, qui existimabant tuam salutem cum communi salute conjunctam, sumptis armis tutandam susceperunt senatus nostri auctoritatem, effeceruntque, ut salvis rebus, quod esse videbatur e reipublicae utilitate, tuto posset decerni. Itaque indicata populi concione, quanta alacritate, dii boni, quanto gaudio, quanta exultatione, quanto studio etiam infirmorum concursus est ad palatium factus omnium aetatum, ordinum, nationum? nemo non solum civem se, sed ne virum quidem arbitrabatur, qui non huic causae interesset, qui non manu, voce, vultus denique ac gestus significatione faveret. Existimabant omnes non de tua, sed de publica salute agi; non de privata unius, sed de communi omnium causa certari, cogitabantque id, quod certissimum erat futurum, si tu unus cum fratre amantissimo in hanc urbem redisses, duas res optimas ac salutares vobiscum, pacem videlicet atque otium redituras. Peregrini porro, quid sentirent de tuis commodis significabant, cum inermes inter armatos gratulabundi versarentur, diemque illum natalem huic urbi dicerent illuxisse. Recreata videbatur universa civitas, et sibi ipsi restituta, cum ii viri crearentur, qui summum rerum arbitrium obtinerent. Id enim sperabatur per eos futurum, quod paulo post te vidimus consecutum. Nam cum hi primum convenere, nihil sibi antiquius duxerunt, quam ut satisfacerent hominum expectationi, et desiderio, teque in illam urbem reducerent quamprimum, quam tu semper tranquillam pacatamque esse voluisses. Non solum autem revoca-

runt, quod ipsum excellens ac praeclarum fuit, sed etiam accumulatiorem reddiderunt auctoritatem, amplitudinem, dignitatem. Gloriabatur vir praestantissimus M. Tullius Cicero se Italiae humeris in urbem reportatum: at idem queritur saepius minime quae antea obtinebat sibi restituta, amplitudinem pristinam, auctoritatem senatoriam, dignitatem consularem, et quemadmodum Apelles Venerem pinxisset imperfectam, sic amicos suos elaborasse circa salutem capitis, reliquum vero corpus rude, atque imperfectum reliquisse. At vero reditus tuus omnia tibi persolvit accumulatiora, ampliavitque vitae anterioris ornamenta. Neque haec ambitu impetrata, aut assiduitate petentium, sed ultro consensu in te omnium delata tanquam in eum, in quo civitatis vires niti posse arbitrarentur. Magna est haec laus, summa gloria, praeclarum judicium virtutis ac fidei, excellens dignitas, atque caeterarum praeclarissima. Illa est enim vera et constans dignitas, quae ab universis ultro effertur meritis et virtuti. Hoc est unum, in quo maxime sit tibi meo judicio gratulandum, consentiens scilicet omnium de tua excellenti virtute testimonium, et tui reditus cupiditas, quo tibi quodam modo fuisse optandum videtur pelli e patria, ut tanto honore desideratus, atque expetitus reverteteris, totque judicia publica tui reditus extarent, quot adhuc nemini meminimus contigisse. Nam pro te restituendo summus magistratus in unam sententiam convenit: pro te civitas arma sumpsit: pro te po-

pulus vocatus ad concionem venit: pro te factum est plebiscitum illud de summo imperio creando, quod non nisi in maximis, ac difficillimis reipublicae temporibus fieri consuevit. Illa vero laetabunda, ac ferme gestiens multitudo plebis quantam laetitiam, quantam mentis jucunditatem prae se ferebat? tum demum rempublicam salvam fore; tum se liberos esse; tum fortunis suis uti: tum pace atque ocio frui posse judicabant, cum tu unus earum rerum quaesitor atque auctor revertisses. Itaque tanta acclamatione decretum illud patrum comprobaverunt, quantam nulla alia in lege publica homines meminissent. Et cum maxima pars concionis legem ferentis vocem exaudire non posset neque quid ab eo recitaretur intelligere, quia tamen sciebant tui gratia advocatam esse concionem, acclamabant, ac plaudebant non nisi rite et ordine fieri arbitrantes, quod ad rationem tuae incolumitatis pertineret. Quamobrem cum magna debeamus amicis, plura parentibus, maxima patriae, omnia Deo immortali, cujus nutu et gratia fiunt singula, eximia quaedam, atque exquisita debes populo Florentino, cujus singularis erga te affectio atque amor omnia, quae cara esse nobis solent, tibi una hora summa tua cum laude et commendatione restituit. Praeclarum est redire in patriam; praeclarius cum honore. Jucundum est reddi suis; jucundius cum amplitudine, et dignitate. Carum est diligi a civibus, carius expeti, atque evocari. Praestans postulari a magistratu:

praestantius a populo universo. Haec veram continent, atque omni ex parte consummatam laudem: haec sunt expressa vestigia perfectae dignitatis: haec digna virtutis tuae testimonia, quae adeo ampla sunt, ut ne majora quidem homini putem fas esse optare. Quae quoniam tute ipse tibi tuis operibus, tuis in rempublicam meritis in singulos beneficiis comparasti, fruere hoc tuo immortali munere, quod tibi nulla vis externa eripiet, nullus fortunae impetus quassabit, nulla tempora oblitterabunt. Et si unquam tibi virtus cara fuit, nunc effice, ut videatur esse carissima, cum intelligam illam parere tam uberes fructus, tam jucundos, quos si quando casus aliquis oppressit, tamen emergant aliquando necesse est, atque in lucem prodeant. Quod si desunt caetera, et in ipsa virtute satis praemii esse sapientes volunt, et adeo aeternam illi mercedem certissimam omnium constitutam. Vale diu, et me ut facis, ama. Florentiae V kalendas Novembris (1).

EPISTOLA XXII.

Poggius pl. sal. dicit Nicolao Bildestonio Archidiacono Vintoniensi.

Pater carissime. Silui tecum diutius, quam tua in me benivolentia postularet, non quidem

(1) Anni 1434.

oblivione tui, nām semper animo meo infixus haeres, sed quia nihil accidit in rebus meis, quod magnopere tibi scribendum putarem. Nunc vero cum magna in me commutatio facta sit, volui eam tibi notam esse; ut in ea re paulum mecum gaudeas, in qua ego plurimam voluptatem animo. et corpore percepi. Scis me hactenus incertum quasi vitae cursum degisse, cum neque saeculum fugerem, neque clerum sequerer. Cum tamen natura mea sacerdotium semper abhorruisset, inque ea essem aetate, ut aliquando mihi certa vivendi formula capessenda esset, decrevi uxorem ducere, ut reliquum aetatis neque in solitudine, neque in orbitate viverem. Itaque licet aetate jam declivi elegi mihi adolescentulam non solum forma egregia, sed etiam virtutibus iis quae in mulieribus laudantur, praestantem. Serius inquies, quam oportuit; fateor id quidem: sed satius fuit aliquando, quam nunquam: neque, ut sapientes volunt, unquam sera est ad bonos mores via. Potuit antea hoc fieri: sed non essem nactus hanc, in qua omnes meae curae requiescunt, meis moribus, meae naturae maxime congruentem. Nihil est enim, quod in ea requiram, ita amplissimis naturae muneribus dotata est. Qua in re maxime consolor, et Deo gratias ago, qui tum semper, tum in fine dilexit me, cum plus mihi tribuerit, quam optassem. Cum igitur tuus in me amor sit mihi notissimus, cumque ego te maximi faciam, necessarium mihi quodammodo existimavi, te hujus

mei status facere certiorem, et consolationis meae participem reddere. Vale, et me Domino commenda, et rescribe. De statu Curiae scies ab aliis. Florentiae die VI Februari (1).

(1) Anni certe 1436. — Spatium temporis annorum pene duorum, a praecedenti decursum usque ad praesentem epistolam, non miraberis, lector, cum disces Poggium patriae restitutum initio anni millesimi quadringentesimi trigesimi quarti, Pontificem Eugenium secutum, qui Roma propter populares factiones evaserat, animadvertisse statuere se stabiliter in patria. Emit enim villam cum praedio in agro amoenissimo Valdarnensi, et studium posuit ad ornandam domum suppellectilibus non solum, sed etiam antiquis marmoribus, praesertim Graecis, cum doctissimus antiquarius esset. Disces etiam hoc tempore statuisse uxorem ducere; elegit enim patriciam adolescentulam, nomine Vaggiam Manentis filiam de Bondelmontis. Sponsalia celebrata sunt ultimis diebus Decembris anni millesimi quadringentesimi trigesimi quinti. In hoc igitur spatio, aut nullas scripsit epistolas, aut inanes et parvi momenti, et quarum nullae supersunt.

POGGII EPISTOLÆ.

LIBER SEXTUS

EPISTOLA I.

Poggius pl. sal. dicit Guarino suo V. C.

Franciscus noster Ferrariensis vir doctus, ac perhumanus reddidit mihi tuas litteras judices ac testes tuae pristinae humanitatis. Recognovi tandem Guarinum meum, hoc est, eum Guarinum, qui amore erga me, et benivolentia aequabat omnes, ut plane illa tua facilitas, et in observandis amicis diligentia non amissa, sed aliquando paulum intermissa videatur. Ego quoque is sum, qui semper fui, hoc est, tui amantissimus, cum nihil remissum sit de mea erga te charitate singulari. Neque enim disjunctio sententiarum debet amicos disjungere, cum liceat diversa sentire salvo jure amicitiae. Et quidem laudanda fuit nostra haec inter nos

contentio exercitii gratia, ut vel laudando, vel vituperando ingenium acueremus. Antiquiores illi magni viri, et in senatu, et in judiciis varia sentiebant in rebus, vel accusandis, vel defendendis, ita ut in varietate sententiae animi dicentium essent conjunctissimi. Turpissimum quidem nobis esset, si quod plurimum solet valere, maximumque est vinculum ad benivolentiam comparandam ac conservandam, studiorum scilicet eorumdem similitudo, id jam contractam, et tanto tempore conservatam dirimeret. Vir doctissimus, ac omni laude praestantissimus Franciscus Barbarus noster cum esset nuper Florentiae, suspicari se ostendit, ne essem forsan a te paulum alienior: dixi nihil minus. Neque solum non imminutum meum in te amorem, sed auctum esse. Scriptum ita esse a nobis, ut quamvis amicorum in scribendo magna libertas esse soleret, tamen utriusque honori consuleretur, pollicitus sum quoque me litteras ad te daturum: quod ne tunc facerem, discessus Pontificis impedivit, cum pluribus antea et post occupationibus implicarer. Sed erat animus scribendi tamen, cum primum facultas esset; ut si qua esset suspitio, tolleretur. Quod mihi de uxore gratularis, facis tu quidem amice. Ego eam rem mihi perpetuae voluptati quietique futuram puto. Cum enim, ut ait Flaccus, magna dos parentum sit virtus, ego eam solam secutus contempsi et divitias, et caetera, quae plurimi in conjugiis sequi solent. Scribit Petronius arbiter, raram fecit mixturam cum sapientia forma. In ea tamen raritate hoc mihi dono

Dei Immortalis contigit, ut cum uxor, quae nondum decimum octavum excessit annum, sit praestans forma, a virtutibus tamen pulcritudo superetur. Siquidem nihil ei deest, quod in optima adolescente requiratur. Itaque satis recte videor consuluisse quieti meae, et futuris annis, licet quidam ex amicis ridentes dicant, tunc me artem novam incipere, cum desinendum esset. Sed quod bene, et honeste fit id nunquam fieri sero putatur. Et quemadmodum boni poetae extremum actum polictiorem, perfectioremque efficiunt, itidem ego, quod temporis superest, perfectiori vitae dedicavi. Catonis autem divortium missum faciamus. Multa ferebat illorum temporum conditio, quae hodie improbantur. Attamen ut Seneca citius ebrietatem laudare vult propter Catonem, quam Catonem dehonestare propter ebrietatem, sic tuus Poggius, quicquid Cato et philosophus, et stoicus fecit, et honeste, et cum virtute existimat fecisse. Veruntamen, ut Cicero scribit sponsam cuique suam placere, sic tu tuam, ego meam opinionem servabo. Ita tamen, ut idem sensus utrique futurum sit in amicitiae fide. Vale, et me commenda Domino meo Domino Leonello omni virtute praestantissimo. Bononiae die XVIII Maii (1).

(1) Anni 1436.

EPISTOLA II.

Poggius pl. sal. dicit Domino Juliano Cardinali Sancti Angeli.

Exortatus saepius, atque impulsus a te quodammodo tum verbis, tum etiam litteris, reverendissime ac praestantissime Pater, ut aliquem certum vivendi cursum deligerem, ad quem dirigerem finem vitae, adhaesi aliquando tandem consilio tuo. Nam cum duae viae essent propositae, quibus haec aetas nostra dedi solet, altera sacerdotii, altera saeculi, a sacerdotio autem natura mea semper abhorruisset, solitudo vero mihi esset invisa, applicui tandem animum ad conjugium, hoc est, ad civilem vitam. Non nego pacatiorem a multis, quietioremque aestimari vitam priorem procul ab omni molestia constitutam, sibi soli vacantem, atque ociosam, quam multo plures propter opulentiam, atque opes sequuntur, quam propter religionem, aut sanctimoniam morum. Amplitudo enim beneficiorum quaeritur, non recta vivendi ratio. Etenim pulchrum inter mortales putatur, excellere inter alios dignitate, coli, atque observari a multis: abundare divitiis, quibus utaris ad cultum vitae, atque amplitudinem: pulchrius autem habetur, ea consequi absque labore, et parva temporis mora. Siquidem ad punctum, et horae momentum tanquam nascantur fungi, qui ad clerum aspirant, dignitates maximas assequuntur.

ut saepissime quem antea veluti ignavum quemdam, atque abjectum despexeras, ignobilem ac rusticanum, postmodum tanquam Deum quempiam venerari, et colere cogaris: et qui nuper rudis erat stupidus atque indoctus, unico Pontificis verbo doctus, prudens, nobilis vulgo existimatur; licet parum a priori natura immutatus. At vero mihi, qui didiceram, quam graves essent hae dignitates, quam honerosa beneficiorum susceptio, quantumque in se pondus contineret aliorum cura, magnum timorem incutiebant ea, quae a priscis Ecclesiae doctoribus traduntur. Nam cum acceperim de sapientissimis viris, quos legi, ad quem usum ecclesiarum divitiae sint deputatae, neque manducare debere non laborantem, et eummet, victu et vestitu contentum esse debere, me autem cognoscerem ineptum ad eum laborem, victum vero, et vestitum aliunde, licet laboriosius, comparari posse: satius certe duxi, non quidem contemnere superiorem vitae institutionem, sed posteriorem sectari, quae aptior meis moribus videbatur. Et sane illa celebrior meliorque militia est, in qua majora merita consequi homines possunt, si tamen ita militant, ut religio, et susceptum munus praescribit. Sed ego qui me, qui meas vires, et quid agendo possem diutius pensitavi, veritus sum me in eam aciem committere, in qua vel turpiter cedendum esset, vel cum periculo animae succumbendum. Itaque cum ad saecularem vitam animum induxissem, in ducenda uxore id praecipue consilium secutus sum, quod maxime a doctis et

sapientibus viris laudari solet. Non enim divitias, quae plurimos obcoecant in deligenda uxore perquisivi, non statum civitatis, ad quem multi anhelant: non potentiorum sustentacula, quibus permulti inhaerent, appetivi: sed honestatem, probitatem, virtutem; quam maximam omnium dotem, quae a parentibus tradi queat, sapientissimi tradiderunt. Cum ergo nota, et perspecta mihi esset adolescentis cujusdam ex nobili familia, quae nondum decimum octavum annum excesserat, egregia indoles, pudicitia, atque hae virtutes, quae in optima, ac praestantissima juvene requiruntur, mores autem spectatissimi probarentur ab omnibus, ratus hanc esse dotem omnium pulcherrimam, quamvis formosior esset, quam aetas mea postularet, tamen cum scirem ita educatam, atque institutam esse a teneris annis, ut formam honestas, spetiem pudor, pulchritudinem virtutes plurimae antecellerent, duxi eam uxorem, et quidem ex animi mei sententia. Nam in ea ita consolor, atque ita acquiesco in diem magis, ut Deo gratias agam continuo, qui cum semper antea mihi plus tribuit, quam delicta mea paterentur, tum vero hac in uxore ita consuluit quieti meae, ita mihi egregie satisfecit, ut nihil penitus sit, quod in ea amplius requiram. Zucharus olim dicere solitus fuit, cum aliquod obsonium ad unguem laudari volebat, id esse tale, ut si aliter conditum esset, futurum non fuisset bonum. Itidem mihi accidit in uxore, quae talis existit, ut nihil sibi vel adesse cupiam, vel abesse. Atqui ea causa extitit, cur

fuerim tardior in scribendo, quàm voluissem. Est commune proverbium: rarum, vel nullum potius ex novis maritis infra annum uxoris non poenitere. Pontifex constituit mihi semestre: sed cum jam quintum mensem ingressus sim, uxor autem probatior fiat in die, mihique jucundior, atque obsequentior, certus sum nullum deinceps locum poenitentiae futurum, cum certa quadam conjectura reliquum tempus ipsis oculis videar videre. Spero etiam Dei gratiam mihi non defuturam in posterum. Nam qui mihi fuit propitius tum quoque cum tanquam devius aberrabam, nunc cum rectum iter ingessus sim, accumulabit in me misericordiam suam. Quicquid tamen acciderit, quicquid sors tulerit, nunquam recte fecisse poenitebit. Haec cum tua charitate volui communicare, ut in eo, quo laetor, et gaudeo, tu quoque, qui me plurimum diligis, voluptatem aliquam capias. Scio majora quaedam ad tuam sapientiam scribi debere: sed etiam sapientissimi viri animum quandoque relaxare a rebus seriis consueverunt. Oro ergo, ut hanc legas epistolam, cum ocium suppetit, joci gratia. Vale et me, ut soles, ama. Bononiae die XXVI Maii (1).

(1) Anni 1436

EPISTOLA III.

Poggius pl. sal. dicit insigni Equiti Leonello Estensi.

Quamvis superfluum, ac pene arrogans videri possit, velle me verbis incitare egregiam animi tui indolem sua sponte ad Litterarum studia erectam atque incitatam, amor tamen singularis erga te meus me coegit, ut si non cohortatione, attamen acclamatione aliqua, sicuti publicis in ludis fieri videmus, prosequar te currentem ad id certamen, quod pulcherrimum omnium judicatur. Nam cum duplex sit ad veram gloriam, et laudem cursus, alter per rei militaris exercitium, alter per ocium Litterarum, non discutiam nunc uter alteri sit praeferendus. Id vero constanter affirmo, et bellicam disciplinam penitus nostris diebus extintam, ut nulla solida laus ex ea oriri possit, et illam quicquid famae, aut nominis apud posteros adepta sit, Litterarum beneficio consecutam. Jacerent enim sepultae, atque obrutae perpetua oblivione regum atque imperatorum res gestae quantumvis illustres atque magnificae, quippe quae raro aetatem hominis excederent, nisi doctissimorum virorum industria immortalitati dedicarentur. Consenescunt enim omnia, et vetustate conficiuntur, quae doctorum hominum ingenio carent. Extincta, et pene deleta jam fama est, licet infra quinquagesimum consistat annum,

excellentissimi illius imperatoris, quem Tambellanum cognominarunt: cujus opera adeo praeclara, et egregia extitere, ut cuivis eorum, qui unquam fuerunt, ducum atque imperatorum verissime possint conferri. Expugnavit urbes plurimas arte, ac natura munitas: saepius hostium exercitus innumeros prostravit: quadringenta millia hominum una acie capto duce, qui magnus Turcus vocabatur, delevit: maximas vastavit nationes: regna plura in suam ditionem redegit: habuit numerum militum parem Xersi: militaris disciplina adeo viguit in illo, ut castrorum ordo simillimus esset compositae civitati: nunquam commeatus tanto hominum numero defuit: nunquam adversam expertus est fortunam: verum quia caruit scriptoris luce, memoriam tanti viri paucissimi jam tenent, et ejus gesta nulli, aut admodum pauci meminerunt. Quamobrem praeclarissima rerum omnium ea debet haberi, quae ad aeternitatem sui nominis consequendam nullius alterius egeat adminiculo. Reliquae vero suo opere, atque adjumento nitantur, atque consistant. Cum ergo tuas cogitationes, et curas omnes contuleris ad humanitatis studia, et eloquentiae doctrinam, atque ad ea ita incumbas, ut etiam eos, qui sunt ociosissimi, tua diligentia exsuperare videaris; persevera quaeso, atque persiste in hoc tam egregio virtutis theatro, ex quo amplissimam gloriae palmam sis consecuturus. Multos egregios principes post septingentesimum annum tulit Italia, qui sua aetate, et pace, et bello claruerunt: at

illorum nomen obscurum est, atque obsoletum, quoniam neque ipsi docti extiterunt, neque a doctis posteritati tradita est eorum virtus. Nostra quoque aetas aliquos protulit minime contemnendos, quorum jam fama silentio obducta delitescit. Homerus olim Achillem consecravit aeternitati; at nisi is extitisset, idem tumulus, ut inquit Cicero, qui corpus Achillis contexerat, etiam famam obruisset. Ita accidit profecto. Nullum virtutis opus adeo excellens et eximium unquam fuit, ut ejus nomen futurum fuerit diuturnum, nisi doctrinae munere commendetur memoriae posterorum. Quanti ergo aestimanda est litterarum facultas, quae gloriam praestat rebus gestis, et reddit homines immortales? Maximum, et praecipuum locum sibi semper vindicavit militia et imperatoria laus; sed manca quaedam res, et infirma ad conservandam sui memoriam reperitur absque auxilio scriptorum, qui illam celebrem reddant. Nullum enim habent firmiorem locum excellentium virorum facta, nullam certam sedem tenent, nisi quam litterarum opere adipiscuntur. Quis, ut barbara omittam, Graecorum, aut Romanorum gesta cognovisset, si defuissent scriptores uberrimi, qui eorum res domi, et foris gestas sua facundia illustrarent? Sacra igitur quaedam res, ac cultu et veneratione digna, sunt humanitatis et bonarum artium studia, quorum ope et beneficio mortui vivunt gloria et fama hominum sempiterna. Ad ea ego cum te intelligam adeo inflammatum, ut etiam caeteros tuo exemplo incitare queas, non quidem te hortor, nam id

supervacaneum esset. verum oro, atque obsecro, ut te eum esse memineris. in quem multi respiciunt, in quem omnes litterarum cultores summam spem posuerunt existimantes, te musis nostris magnam auctoritatem et magnum decus allaturum. Subripias, velim, quotidie negotiis, quae undique impendent, aliquid temporis, quod in studiis colloces, quo te ad rectam vivendi rationem confirmes, ut cum venerit aetas, qua te rebus majoribus accomodare queas, tunc illud in te oriatur, quod refert noster Cicero in oratione pro Archia poeta, asserens, cum ad naturam eximiam atque illustrem, qualis tua est, accesserit ratio quaedam, confirmatioque doctrinae, tum illud praeclarum nescio quid existere, ac singulare, quale in Africano ac Lelio multisque aliis fuisse testatur, quos oro magis, quam Caesarem imitandos tibi proponas, sequens vestigia eorum, qui legendi curam cum negotiis conjungentes, omni vitio et turpitudine caruerunt. Vale et me ama. Bononiae XVI kalendas Septembris (1).

EPISTOLA IV.

Poggius pl. sal. dicit Valasco Portugalliensi V. C.

Si tantum ingenio, aut dicendi facultate valerem, ut quem scribis essem gradum eloquentiae consecutus, satisfacerem, et quidem libens, deside-

(1) Anni 1436.

rio tuo, mi suavissime Valasce, ut scilicet aliqua perbrevia praecepta tibi traderem, quibus ad eam, quam concupiscis laudem oratoriam pervenires. Verum et ego rudis atque indoctus mihi videor, ad scribendum de re praesertim difficili, mihique non admodum nota. Et haec eadem ab exquisitissimis ingeniis sunt diffuse tradita, ac descripta ut si tibi illi non satisfaciant, frustra ego coner obstrepere auribus tuis, ac patefacere stultitiam in scribendo meam. Quid enim est ad dicendi artem et studium spectans, quod ab illis sit amissum, aut non elimatum atque perfectum? Quicquid arte, exercitatione praecipi, et tradi potest, dilucide ab illis est explicatum, quos si quis legerit, si quis imitatus fuerit, non est ut egeat aliorum adjumentis. Hi tibi et dant praecepta, quibus instituamur, et summa utuntur in scriptis suis eloquentia. Quintilianus artem eloquentiae diligentissime prosecutus est. Cicero autem noster et artem perfecte tradit compluribus suis libris, et orationibus quas permultas edidit, exercitationem affert ad ea, quae descripsit, praecepta: philosophia etiam multis voluminibus ab eo ornata est, et Latinis Litteris exposita. Quare si te praeceptis quibusdam instrui cupis, non rivulos consectari debes, sed ipsum fontem perquirere ex quo haurias quantumlibet. Hac in re tamen, ut tibi aliqua ex parte satisfactum putes, hoc brevissime praeceptum tibi a me esse velim. Est M. Tullius omnium qui unquam fuerunt, futurive sunt, eloquentissimus, cum in iis, quae ad artem oratoriam spectant, tum ad institutionem,

et doctrinam vitae moralis. Eum igitur, qui princeps est inter omnes, suadeo frequenter legas; primum libros eos, qui ad instituendum oratorem sunt accomodati, deinde orationes, in quibus exprimitur vis omnis, atque ars oratoris; deinceps libros ejus omnes in philosophia. Ita eloquentiam cum sapientia conjungens, consequeris id quod ipse testatur in Bruto. Qui studet eloquentiae, eum et prudentiae operam d[illegible] Non enim vir improbus, aut imprudens es[illegible] haberi eloquens potest. Sed tamen quid opus fuit, ut ad me ires pro iis rebus, quarum tu ipse es copiosissimus? si quidem tua epistola, qua te instrui certa via ad oratoris ubertatem petis, tum verborum copia referta est, tum gravitate sententiarum: ita vero eleganter scripta, ut in eo, quod quaeris, alios excellere videaris. Nihil enim in illis abest, quod quivis disertus, aut copiosus amplius desideret. Itaque potius tentandi causa, quam consilium exquirendi, te eam sumpsisse curam scribendi puto. Quocumque tamen egeris animo, gratissimum mihi fuit provocari abs te litteris, quo aliquod argumentum elicerem ex tuis verbis scribendi ad te, quem summopere diligo. Ex quo enim tecum sum collocutus, sensi te virum doctum, atque eloquentem, dignumque existimavi, quem omnes, qui studiis humanitatis delectantur, diligant, et carum habeant, et eo magis, quo in iis oris ortus es, et educatus, in quibus nullum, vel rarum eloquentiae vestigium versatur. Vale et me ama. Bononiae (1).

(1) Deest mensis Nota, ad annum vero appellat 1436.

EPISTOLA V.

Poggius pl. sal. dicit Scipioni Episcopo Mutinensi.

Cum verbis tecum agere potuissem, mi jucundissime Pater, ea, quae litteris sum scripturus, tamen cum verba cito defluant, et minorem auctoritatem habere videantur, decrevi in hoc meo gratulandi munere epistola potius, quam sermone uti, apud te praesertim, qui scriptis meis, quamvis nullius operae pretii, plurimum delectaris. Etenim si ad alium quempiam ex his notis nostris similis dignitas delata extitisset, haesitarem paulum a scribendo, veritus gratulandum ne sibi existimarem, an potius condolendum. Nam si dignitas hujusmodi nihil praeter opulentiam ac tumorem quemdam, ut multis contingit, secum afferat, nescio, qua in re sit opus nostra gratulatione, quippe qui ejusmodi curam sumimus erga illos, quibus aliquid boni contigisse arbitramur. Cum autem quidam honoribus in se collatis abuti consueverint, et deteriori se vitae tradere, ingemiscendum est illos peccandi facultatem, ac materiam consecutos. Interrogatus Socrates olim beatum ne ac felicem putaret quemdam praedivitem hominem atque opulentum, nondum, inquit, cum eo sum collocutus. Non enim ex divitiis, aut principatu, sed ex animo possidentis aestimabat hominis felicitatem. Multos quidem vidit nostra aetas, qui altiori gradu ac magistratibus affecti

ex licentia atque affluentia rerum nequiores multo evaserunt. Nonnullos vero, qui cum antea viri solertes industrii, studiosi Litterarum, et ingenii perspicacis haberentur, post susceptam amplitudinem dignitatis, secordia, desidia, ignavo otio torpescerent, ad pastum ac somnum veluti mutum animal vacantes. Quidam humilitatem in superbiam, frugalitatem in luxum, liberalitatem in avaritiam, charitatem in odium converterunt. Solent aliqui causare fortunam, quod inopia victus impediantur a studiis et virtute. At iidem cum ad majora conscenderint, bonorum abundantia a bene agendo retardantur, quibus non bono, sed malo dignitas et divitiae extiterunt. Horum omnium viam stultus fuerit, si quis gratulandam, ac non potius deflendam putet, cum eas res, quae bene vivendi incitamenta praebere defuissent, ad errandi ac delinquendi facilitatem transtulerit: imitantur ii quidem malos artifices, qui ex materia pulchra aedificium turpissimum struunt. At vero mihi, cui tua virtus nota est et longa consuetudine perspecta, qui non adumbrata signa aliqua tuae probitatis et prudentiae, sed impressa vestigia percepi, licet vere, et ex animo gratulari tum felicitati tuae, tum vero maxime virtuti, qui bonis initiis rectum iter ingressus sis, talenta tibi credita cum magno foenore Domino redditurus. Non enim emendicatam precibus, non suffragiis comparatam, non concessam ambitioni dignitatem consecutus fuisti, sed integerrimis moribus, spectatae probitati, virtuti cognitae

attributam: quo certior sum ex hac novae dignitatis accessione ardentiorem tibi mentem ac desiderium, ad rectam atque exquisitam quamdam vivendi normam futurum. Nam quo majus tibi onus esse injunctum sentis, eo te reddes contentiori animo ac voluntate ad exuperandas difficultates omnes, quae bene agentibus praepositae videntur. Adest acre tibi ingenium, adsunt studia Litterarum, quibus ab ineunte aetate deditus extitisti: adest omnibus in rebus continentia, summa modestia, atque animus a vitiis liber: abes longe a vulgo eorum, qui se ortos ad voluptatem putant. Tum eximia ac praestans natura, tum sacrae scripturae jugis lectio tibi praestiterunt, ut non vulgari ac nota episcoporum via, eorum dico, qui pluris dignitatem faciunt, quam bonitatem, tibi ducas proficiscendum, sed multo exquisitiori ac perfectiori, quae sit caeteris tanquam veterum sanctitatis exemplar. Nam quid tibi deest eorum, quae in optimo antistite requirantur? Tu consilium in deliberando, prudentiam in agendo, in perficiendo diligentiam, in decernendo aequitatem adhibere potes: tu humanitate, benivolentia, charitate, facile caeteris praestas. Tibi mores praestantissimi summam laudem contulerunt, ut nisi tu tibipsi desis, omnia alia accumulate tibi adesse videantur. Non disputabo nunc (haec enim tu ipse melius nosti) quid Episcopum deceat, quod ejus sit officium, quae actio, quod munus. Nam Paulus Apostolus, pluresque ex illis sanctissimis, quos frequenter tractas, tibi abunde suppeditant

mandata, quibus episcopi, et sacerdotes pareant: qui Deo non mundo cupiunt servire, multa certe praecepta tradunt, plures afferunt difficultates, quibus praesules astringantur: honorem vero illum maximo premi onere asseverant: neque Episcopum esse, qui praeesse cupiat, non prodesse. Dispensatorem bonorum Ecclesiae cui praesit esse dicunt positum in quadam veluti specula, ex qua aliis consulat, atque opituletur. Denique tam multa onera in eum congerunt, ut Chrysostomus scribat in epistola ad Hebraeos, mirum esse, si rectorum aliquis salvetur. Illud vero constanter affirmo, unum quoddam esse onus omnium maximum. Nam cum omnes difficultates, quae sacerdotibus imminent, animo evolveris, nulla gravior, nulla magis ardua occurret, quam suscipere multarum animarum curam. Grave est subire onus medendi morbis animi, qui occulti ac latentes ut plurimum esse solent: gravius reddere rationem alterius vitae: gravissimum vero alterius delicto debitorem teneri, proque delinquente apud Deum puniri. Vide quid sentiat alio in loco Chrysostomus. Sacerdos, inquit, etiam si bene propriam dispensaverit vitam, caeterorum vero negligenter curam habuerit, cum pernitiosis in gehennam vadit. Haec mihi admodum ardua videntur, plurimoque labore et sudore plena: neque cujusvis esse hominis, sed bene instituti ad vitam, et accepti Deo. Etenim si dispensator quispiam in magna familia operariorum ducit accepti atque expensi annuam rationem ferre, et in ea multos

occupat dies, quam si in plures annos differat, vix suas rationes etiam apud eos, qui persaepe falluntur, explicare in singulis potest: quandoque autem cum incuriosius se habuerit, in carcerem traditur: quid ei contingere arbitremur, qui non unius alicujus fundi, aut familiae dispensationem, sed amplissimae civitatis, magnaeque patriae rationem reddendam suscepit? ubi non tantum pro rebus actis, sed neglectis quoque atque omissis, et apud eum, qui nequit falli, tabulae ac codices erunt proferendi. Mihi quidem terror ac tremor quidam injicitur, haec, et plura alia quae in mentem veniunt consideranti, quae certe me olim deterruerunt, sive ex imbecillitate ingenii, sive negotii timore, a sacerdotii officio ac cura, suaseruntque ut eligerem saecularem vitam. Tibi autem, cui amplior animi virtus, singulare ingenii acumen, fervens voluntas talia adjumenta subministrarunt, ut quantumvis arduas res, et consilio obire, et ratione perficere facillime queas, scio futura esse levia, quae caeteri gravissima solent judicare. Quoque majus certamen sit tibi propositum, eo audentius, atque enixius explicaturum tuas vires adversus mundi hujus colluctationes. Nihil est enim tam difficile, quin volenti facile fiat. Quamvis virtutem sapientissimi tradant in arduo collocatam, facilis tamen ad eam est ascensus, si quis animum recte intenderit ad iter pervestigandum. Nolo consiliis quibusdam ad ostendendam prudentiam apud te uti, ne videar diffidere sapientiae tuae. Hoc tamen

pro nostra amicitia admonuisse te velim, ut cum tanquam sponsa quaedam spiritualis sit tibi condonata, qua cum vivas, qua cum Deo fructum uberem parias, illam solam tibi enutriendam, ornandam, colendam, neque ullam praeterea amplius appetendam, seu quaerendam, quantumvis sit opulentior putes, nisi enim hanc propriam esse existimaveris, quae a te divelli, aut amoveri per totam aetatem nequeat, nunquam sincere animum in ejus cura poteris defigere. Neque enim suis rebus erit contentus, qui inhiabit alienis. Attamen cum tanta in te sit doctrina, quanta in viro peritissimo ac doctissimo esse potest, cum sacrarum litterarum studio quotidie incumbas, cum quae tibi agenda sint jam dudum legendo perceperis; jam non eges alterius adminiculis ad rectam vivendi legem atque institutionem. Scis te esse episcopum, hoc est non tuorum esse, sed aliorum praemeditatorem: scis te pascendis ovibus destinatum, scis te praepositum curae publicae utilitatis, scis tibi illius vestigia imitanda, qui se pastorem bonum esse professus est. Quae omnia cum mente atque animo defixa teneas, cumque ad omnes ejusmodi labores non solum obeundos, sed etiam superandos omnes tuas cogitationes erexeris, verissime, atque optimo jure tibi gratulandi occasionem assumpsi, cum susceperis id munus, quod et viventi summam laudem, et mortuo aeternam sit gloriam praestaturum. Vale. Bononiae (1).

(1) Deest mensis Nota, ad annum vero appellat 1436.

EPISTOLA VI.

Poggius pl. sal. dicit Fernando Didaci V. C.

Cum audissem jamdudum a plurimis, quibus cum est mihi frequens consuetudo, te esse virum doctissimum, atque omni litterarum genere praestantem, studiosissimum vero earum litterarum, quae spectant ad studia humanitatis, summa statim te sum complexus benivolentia. Accessit ad eam augendam, quod quidam mihi retulèrunt, te cum voluptate legere epistolas meas, quamvis parvo sint aestimandae. Quod autem pluris facio, quam reliqua omnia, quodque ad amorem me etiam excitavit, multi affirmant, te ad variarum multipliciumque rerum scientiam adjunxisse etiam studia probitatis ac virtutis. Neque minorem te laudem ex ejus cultu, quam ex litteris reportasse, qua in re permagnum adeptus es doctrinae atque ingenii fructum. Etenim qui id suis studiis assequuntur, ut eis utantur tanquam instrumentis ad honestum ac decorum illud, quod laudatur a philosophis capessendum, hi mihi videntur egregium atque excellens praemium ex suis vigiliis reportare. Quibus vero multarum rerum scientia attulit irritamenta, aut fomenta vitiorum, jam praestaret illis, rudes fuisse, quam doctos; mutos potius, quam eloquentes. Idcirco enim bonae artes repertae fuerunt, ut illis instrueremur, quid agendum esset, quidve omittendum, ut per earum exhorta-

tiones optimis moribus instrueremur. Nec est causa, cur sapientes velint, postremam, cui vacandum sit, debere esse moralem philosophiam, tanquam perfectioris cujusdam vitae praecepta et institutiones continentem. Cum igitur ex litteris summam omnium rerum doctrinam sis consecutus, virtus autem boni viri tibi nomen indiderit, commotus sum ad te toto ex animo diligendum. Scis enim virtutem tanti esse, ut nos ad eorum, etiam quos nunquam vidimus, benivolentiam compellat. Cupiebam aliquid ad te scribere, quo tibi mea erga te voluntas notior fieret. Sed nulla se hactenus occasio tulit, qua daretur scribendi facultas. Nunc vero cum Lupus Roderici admodum mihi familiaris, qui olim quasdam meas epistolas, quae ad te deferrentur, scripserat, se velle ad te ire mihi significasset, rogassetque, ut aliquid ad te litterarum darem, nam id pergratum esset tibi futurum, sumpsi ex suis verbis veluti argumentum quoddam ad te scribendi, ut posteaquam coram verbis fieri nequit, absens per litteras me tibi deditum esse cognoscas. Non sum hoc primordio usus exquisito quodam genere litterarum, quemadmodum in insignem virum scribentem decebat, sed, rudi quodam veluti internuntio, et ex tempore proficiscenti nullo cum apparatu; hic et tibi Poggium offert, licet pusillum hominem, atque imbecillum, et praesto omni in re satisfacturum pro facultatibus nuntiabit. Vale et me, quoniam id mutuum fit, ama. Bononiae III kalendas Novembris (1).

(1) Anni 1436.

EPISTOLA VII.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco.

Nihil est mi Francisce, quod libentius agerem, quam scribere ad te saepius, quem scio mihi amicissimum, sed impedior pluribus negotiis, in quibus scriptura opus est, ut aliquando nil magis sit mihi molestum, quam scribere. Hoc fuit causae, cur non responderim nonnullis epistolis tuis. Nunc vero cum tertia a te epistola mihi reddita sit, sumpsi calamum, ne viderer contemnere amicitiam nostram, vel negligere mandata tua. Postulas a me volumen epistolarum, quas scripseram ad Nicolaum. Ego jamdudum id fecissem, nisi expectassem quasdam alias ad eum epistolas, quae desunt volumini, paulo quam caeterae uberiores. Binis jam litteris oravi Nicolaum, ut illas ad me mitteret. At ille omnium negligentissimus, qui sua tarditate cochleam superaret, neque misit epistolas, neque verbum rescripsit ullum, me suspensum detinens, qui non audeo volumen edere, priusquam illae adjiciantur. Scias me tamen scripsisse ad te epistolam, quae erit prima omnium inscripta, veluti quoddam prohemiolum: ejus copiam ad te mitto, ut intelligas me non immemorem promissi, et re et verbis, quoad potuerim, satisfecisse voluntati tuae. Et si enim sim admodum pusilli ingenii tenuissimaeque facultatis, conor tamen non solum respondere officio de me benemeritis; sed etiam

provocare ad promerendum. Pessimum est vitiorum omnium ingratitudo, quam qui sequitur, turpissimus, flagitiosissimusque omnium haberi debet. Neque enim Deum colere, neque amicitiam, aut benivolentiam hominum servare potest, qui fuerit ingratus. Sed haec hactenus. Si vis hos quaterniones, ut sunt dissoluti, curabo ut ad te deferantur: sin vero expectare vis, quoad volumen perficiatur, ac ligetur, age ut libet. Tibi enim illud dicavi, prout cognosces ex epistola. Tu vale et quid fieri a me velis, perscribe. Bononiae pridie kalendas Decembris (1) manu festina. Gaspari nostro plurimam salutem dicito verbis meis.

EPISTOLA VIII.

Poggius pl. sal. dicit Benedicto Arretino viro doctissimo.

Plurimum delectatus sum tuis ad me litteris, mi Benedicte, et simul sum admiratus ingenii tui acumen, qui cum tantam operam impenderis juri civili perdiscendo, ut inter doctissimos ejus artis viros digne adnumerari possis, ita tamen eloquenter, ita ornate, ita facunde ad me scripsisti, ut non minorem ex eloquentiae facultate, quam ex legum doctrina laudem mea sententia merearis. Est profecto indicium egregii animi, et ad litterarum studia bene instituti, duas res, quarum utraque

(1) Anni 1436.

difficilis est atque ardua ad percipiendum, ita te esse complexum, ut parem te reddideris illis etiam qui in alteram tantum omnem suam operam contulere. Immensum quiddam est civilis juris perceptio, tum propter rerum varietatem, ac sententiarum, cum plures inter se dissideant legum scriptores, tum vero maxime propter commentantium infinita pene volumina, quae mentes legentium diversis implicant opinionibus; ita multis ac superfluis verbis diffusa, ut ea sola aetatem etiam cervorum consumerent ad legendum, quorum tractatio, et molesta est: absunt enim ab omni cultu orationis, ut priscos illos jurisconsultos eloquentissimos viros nunquam legisse appareat: et tanta est sententiarum contrarietas, tanta verborum cavillatio, ut percipiendae veritatis viam praecludere videantur. Eloquentiam vero quam facile consequamur, hinc licet perspici, quod omni in tempore, omni in aetate pauci reperti sunt, qui jure possint appellari eloquentes. His in facultatibus cum te conspiciam majorem in modum profecisse, gratulor tibi, qui vires ingenii collocaris in eo Litterarum exercitio, quo et honori, et utilitati possis consulere. Nam legum scientia opes ac divitias tribuet, necessarium vitae humanae praesidium: eloquentiae autem adminicula maximum ornamentum afferrent, et ipsa quoque admodum accomodata ad excolendam atque exornandam scientiam juris civilis. Neque vero est, quod te moveat communis error multorum, qui pecuniae gratia jura ad injuriam

convertunt. Semper malorum copia bonos numero superavit: et vetus est sententia omnia praeclara rara. Omnes ferme ad juris doctrinam accedunt lucri cupiditate, et quaestus causa: quod cum sit tanquam praecipuus finis discentibus propositus, eam justitiam veram esse ducunt, quae sit quaestuosissima. Itaque non aequitatis rationem ullam habent, sed nummositatis; cum ad id solum vacent, quod sit eis studiorum suorum et vitae finis constitutus: Ubi vero lucrum abest, tum demum jus habetur pro injuria. Non quid justitia requirat attenditur, sed quid emolumenti controversia possit afferre. Itaque melior ratio illa ducitur, quae fuerit ditior atque opulentior. Etenim ut plurimi negotiatorum parum quid in lucro proficiunt, nisi admodum mentiantur, ac fallendo mercaturas suas verbis extollant, sic magna pars Legisperitorum parum utilitatis se putant posse consequi, nisi justitiam mendacio, aequitatem verborum praestigiis subvertant. Ita non ad juris, aut legum praescriptum, sed ad arbitrium dantis ac porrigentis manus, disputant, atque altercantur. Verum tu, quem excellens animi natura non magis ad litterarum, quam ad virtutis cupiditatem incendit, emerges ex hoc communi doctorum grege nullum lucrum esse existimans, quod fuerit idem sejunctum ab honestate. Nolo autem, ut te redigas ad normam, et instituta quaedam ejus philosophiae, quae felicitatem sola constituit in virtute. Civilem enim vitam capessentibus multa sunt praeter eam necessaria;

quanquam philosophorum plures fuerunt, qui appetiverunt, quam qui contempsere divitias. Vox vero ad paupertatem cohortantium magis ore laudanda est, quam re experiunda. Nam durissimum est ac molestissimum, egenum atque inopem esse, adjumenta vitae ab aliis demisso vultu petentem. Cum laudarem olim noti cujusdam, qui in diem acceptis elemosinis viveret, paupertatem, dicens illam liberam atque expeditam multiplicibus molestiis vacare, quibus reliqui implicarentur: vera sunt, inquit, amice quae a te dicuntur; sed tamen, paupertas multis incommodis ac suspiriis referta est. Neque vero est ut verearis, ne rite consulendo aut justitiae favendo depressus jaceas, aut non reliquos longe antecedas, et divitiis, et dignitate. Multo majus, atque acceptius est boni et justi viri, quam docti, aut callidi nomen possidere. Maximi semper virtus etiam ab improbis habita est, quae aestimatur, veneratur, colitur etiam ab invitis. Neque enim fieri potest, ut de quo confirmata jam sit virtutis opinio, non et honore, et auctoritate, et commodo caeteros antecellat. Quamobrem primum, ut facis, virtuti a te dandam operam censeo, tum indulgendum totis viribus legum studio: deinde addenda esse his eloquentiae ornamenta. Haec te jacere non sinent, sed erigent altius, et in summo dignitatis atque honoris gradu collocabunt. Sed haec tute melius potes cognoscere a sapientissimis viris, quorum in lectione continuo versaris. Quod autem in epistolae tuae principio, et me collaudas doctrinae atque eloquentiae, et

meam operam tibi profuisse, ac propterea te mihi plurimum debere affirmas, vellem, ut amice scribis, ita et vere scribere contigisset. Sed tua in me benivolentia plus tibi de me quam requirat veritas, persuasit, et rem parvulam posuit summi beneficii loco. Nam ego homunculus sum rudis, atque impolitus: rem vero admodum tenuem gratitudo animi magnam facit. Est quidem grati animi officium, non tantum beneficii, quantum voluntatis propensae ad beneficientiam rationem habere, quae quoniam in me fuit, facile patior, non pro officio, quod nullum extitit, sed pro mea in te affectione mihi abs te gratias agi. Vale, et me, ut coepisti, ama. Bononiae X die Decembris (1).

EPISTOLA IX.

Poggius pl. sal. dicit Lippo suo.

Modo cum domum noctu redissem, offendi litteras tuas, et simul libellos, quos remisisti. Retulit insuper quidam ex domesticis illum qui detulerat dixisse se postridie mane ad te velle proficisci; si quid vellem respondere, ut presto id esset. Itaque licet opus esset exquisito quodam genere litterarum ad virum praesertim eloquentissimum, sumpsi tamen calamum, scripturus pro temporis facultate quicquid in buccam veniret, ne tibi parum respondere viderer in officio rescribendi.

(1) Anni 1436.

Scio moris esse eorum, qui primum ad amicos scribunt, accuratioribus quibusdam litteris uti, ad ostendendam, si quam in eis videri volunt, vel eloquentiam, vel doctrinam. Si cui autem id esset necessarium, ego is essem, qui scribam ad eum, qui suis in litteris usus est summa dicendi copia, et gravitate, nisi tibi notae essent, quaecunque illae sint, copiolae et facultates meae. Verum alias diligentius, cum ocium erit, et res requiret, litteris colloquar tecum. Nunc, ut tempus postulat, epistola tua mihi summam attulit animi voluptatem, cum videam te ita institutum studiis humanitatis, et eloquentiae, ut si in eis perseveres, magna sis laude et gloria futurus. Non loquor tecum, neque enim natura id mea patitur, adulandi gratia, sed quod ita ex animo sentiam. Ea est in te facultas dicendi, ea ubertas, is ornatus orationis, ut paucos legerim, pace eorum dixerim, qui tibi sint anteferendi vel elegantia, vel suavitate. Itaque si rem mihi gratam, si tibi, tuoque ingenio dignam, si tuae naturae accomodatam cupis facere, quicquid temporis tibi subripere potes, colloca, et consume in his litterarum studiis, quae et ad eloquentiam spectent, et ad sapientiam. Vir magnus, mihi crede, evades, si perseverabis. Me autem scias esse tibi propter tuas virtutes amicissimum, adjuturumque esse, si caetera deficiant, saltem cohortationibus. Plura ne scribam, et summum frigus, et uxor impediunt. Silus Italicus non est apud me, dimisi eum Florentiae: meam suppellectilem, cum huc redibis, poteris universam scrutari, et ex ea

sumere quicquid libuerit. Vale, et me ama. Bononiae die XIII Decembris (1).

EPISTOLA X.

Poggius pl. sal. dicit Lippo suo V. C.

Nudius tertius cum ante coenam scripsissem ad te epistolam paucis verbis, quam erat ad te allaturus quidam qui ad me una cum tuis litteris libellos meos attulerat, dedissemque eam librario meo, qui ferme continuo domi manet, ut illi redeunti prout pollicitus fuerat, traderet: percontatus nunc a librario comperio epistolam non esse ad te delatam, et quidem nuntii tui culpa, qui revertendi curam omisit. Nolens igitur perire lucubratiunculam meam, non ut aliquid aestimanda sit, sed ne me negligentem judices in rescribendo, curavi per alium, ut tibi redderetur. Si autem putassem hoc biduo scribendi spatium mihi dandum fuisse, aliquid exarassem fortasse uberius, ac diligentius. Sed quicquid est, accipias oro, loco pignoris meae erga te benivolentiae, quae permagna est, tum humanitate tua, tum mea voluntate contracta, qui diligo et amplector eos, quos video excellere ingenio, et suavitate dicendi. Vale, et me ama. Die XVI Decembris noctu (2).

(1) Anni 1436.
(2) Anni 1436.

EPISTOLA XI.

Poggius pl. sal. dicit Bornio suo Bononiensi Jurisconsulto.

Gaudeo mi Borni, doctrina atque eloquentia tua in diem magis, cum videam te prope accedere ad priscorum illorum dignitatem, in quibus cum juris scientia adjuncta erat summa dicendi gravitas atque elegantia. Audivi te nuper apud Pontificem in quadam causa orantem magna tum copia verborum, tum sententiarum ornatu. Qua in re sensi te laudari a multis, quod unus prae caeteris ad cognitionem legum addideris etiam eloquentiae ornamenta. Pulchrum est enim quod sentias, posse copiose, atque eleganter exprimere. Quod si qua in facultate requiratur, id maxime juris scientia civilis, quae in tuendis causis, atque expugnandis versatur, jure quodam suo videtur exposcere, cum sine oratoriis ornamentis nuda quaedam res existimetur, atque incondita nulla cum venustate. Hoc adeo verum esse ajunt, ut doctores ii, qui remota eloquii suavitate causas agunt, magis strepere, quam loqui putent. Te vero, quem ita rei utrique summam operam impedisse videmus, ut et recte consulere, et ornate loqui possis, confido, si in hoc advocationis munere perseverabis, summum nomen et opes consecuturum. Excelles quidem inter alios, si ad doctrinam, quae est in te eximia, adjungetur usus optimus rerum omnium, ut ajunt

magistri. Verum cum caetera in te laudanda sunt, tum ego illud imprimis probo, quod praecepta praeteritorum temporum historia verissime dijudicas, ac perpendis illustrium virorum praestantiam, qui hactenus claruerunt. Nam cum pridem pro nostra consuetudine variis de rebus colloqueremur, laudans excellentes viros, qui quondam rerum potiti, virtuti et gloriae servierunt, dixisti Trajanum videri tibi optimum omnium, qui unquam fuerunt Imperatorem, teque dolere vicem tanti viri, qui cum superiores principes et belli et pacis artibus longe superasset, Romanique imperii magnitudinem suis aequasset virtutibus, tamen nihil vel admodum parum ex ejus rebus, quae ceteris omnibus anteponendae essent, apud latinas litteras reperiretur. Comprobavi tunc sententiam tuam asserens maximam injuriam seu fortuna, seu negligentia hominum factam memoriae tam excellentis principis, tamque in omni laude singularis. Cujus praestantissimae in omni genere virtutes vel hoc praecipuum testimonium afferebam, quod solus imperatorum omnium a senatu, populoque romano, non ambitione, aut metu, sed vero judicio optimi Principis cognomen meruit, quemadmodum et ex moneta illorum temporum constat, et refert Plinius in ea oratione, quam adepto consulatu de suis laudibus conscripsit. Et certe sive illam orationem legeris, sive rerum suarum eam portiunculam, quae habetur in historiis, consideraveris; intelliges profecto nullum ex superioribus principibus, sive Graecis, sive Latinis, cum Trajano praestantia

quadam virtutis et rebus gestis ullo modo esse comparandum. Fuit enim in eo summa pietas, clementia, humanitas, justicia, liberalitas, qui usque adeo vitam suam ad normam optimi principis instituit, ut nihil in vita fecisse dicatur non summa laude et commendatione dignissimum. Armis autem totam Mesopotamiam superavit. Parthis et Persis bello subactis, quod nulli antea Romanorum acciderat, regna eorum in provinciae formam redegit. Nulla gens, nulla natio subdita Romano Imperio fuerat, quam non peragraverit, tum rebelles armis domando, tum pacatis populis jus more justi praetoris dicendo. In mari vero rubro classem habuisse ferunt, ut per eam fines in dies vastaret. Dixerim fortasse Alexandrum sibi rerum gestarum magnitudine parem: sed virtute, clementia, humanitate Trajanum video longe superiorem. Illius enim etiam inter epulas et convivia amicorum caedes referuntur: hic nullius unquam necis conscius fuit. Ille superbia ementiti generis, se Deo aequabat: hic tanquam communis omnium parens, parem se privatis et infimis hominibus praestabat. Ille sibi vota fieri, et victimas tanquam Deo caedi jubebat: hic tanta fuit humanitate, ut pro salute sua nunquam vota suscipi pateretur, nisi cum hac adjectione, si id reipublicae, ac populi Romani esset salute, et commodo futurum. Caesaris Augusti prae caeteris virtus atque humanitas commemoratur, postquam solus rerum potitus regnavit. At idem per calamitatem civitatis, per proscriptionem excellentium virorum,

per caedem, sanguinem, ac stragem exercituum, civiumque romanorum spoliis et rapinis ad imperium pervenit; neque etiam ipse quicquam bello egregium legitur gessisse. At vero Trajanus cum pietate, clementia, fide, integritate vitae et rebus gestis, quibus antecedebat, ad imperium per Nervam esset adscitus, iisdem artibus rexit imperium, quibus illud meruerat sibi conferri. Nullus inquam paterfamilias cum domesticis et filiis ita humane vixit, quemadmodum Trajanus cum senatu et populo romano, cui etiam jus pristinum creandorum magistratuum restitutum Trajani benignitate idem Plinius refert. Denique ut paucis multa complectar, tanta fuit ejus in omni aetate magnitudo virtutum, ut nonnulli testentur precibus cujusdam e nostris sancti viri a poenis inferis liberatum, quamvis gentilis extitisset. Sed stultus ego, qui existimem posse parva epistola comprehendi, quod Plinius ne duobus quidem libris, quos in ejus laudem conscripsit, mihi satis digne et ample pro ejus meritis prosequi videatur. Nec autem sum his litteris complexus, non ut historiam novam contexerem, quae majus ingenium requireret, sed ut approbarem, confirmaremque sententiam tuam, quae mihi videtur esse verissima. Id velim modo consequamur ex hac epistola, ut aliquid commemoratio virtutum suarum nobis ad vitam contulisse videatur. Vale et me ama. Bononiae die VIII Februarii (1).

(1) Anni 1437.

EPISTOLA XII.

Poggius pl. sal. dicit Carolo suo Arretino V. C.

Gravem dolorem suscepi prout aequum erat mi Carole, ex obitu praestantissimi viri Nicolai nostri communis doctorum virorum omnium parentis, quem, si fas esset optare, oportuerat pro communi utilitate fieri immortalem. Effudi multas lacrimas tanquam in patris funere ad primum nuntium mortis suae; quas auxit etiam epistola Nicolai Gori, qui mihi illum diem suum obisse significavit. Vellem adfuisse in ejus funere: nam ei praestitissem omnia pietatis officia, quae a gratis filiis patribus benemeritis tribui solent. Quem enim patrem habui, cui plus debuerim, quam Nicolao? Hic mihi parens ab adolescientia; hic postmodum amicus; hic studiorum meorum adjutor atque hortator fuit; hic consilio, libris, opibus semper ut filium, ut amicum fovit, atque adjuvit: hic me ad virtutem; hic ad litterarum doctrinam: hic ad bonarum artium studia semper incitavit. Denique nihil erga me omisit eorum, quae ab indulgentissimis parentibus filiis, vel a carissimis amicis mutuo amori tribui solent. Quod si humanitas ferret, dicerem me plus Nicolao quodammodo debere, quam iis, qui me procrearunt. Illi enim ignarum rerum omnium genuerunt; hic reddidit sua opera doctiorem. Illi tantum ut essem effecerunt: is ut essem cum honore et dignitate. Illi

alimenta corporum praebuere: hic animum moribus formavit, et recte vivendi institutis: ut quantum caeteri parentibus, atque educatoribus suis debeant lege naturae; tantum ego Nicolao nostro, et ejus nomini jure humanitatis, et suis erga me meritis me debere profitear. Quanquam quid ego de me solo loquar? omnibus ille, qui ad litterarum studia anhelabant, in quibus aliquam virtutis notam inesse putabat, sic aderat, sic favebat, ut vere communis doctorum hominum parens atque altor esse videretur. Illius cohortationes multos ad litteras incitabant: illius libri multorum studia sustentabant: neque ope, neque consilio ulli unquam, ne externo quidem, defuit, quem aut liberaliter institutum, aut incensum ad perdiscendum conspiciebat. Rectissime videor affirmare posse, non mihi magis quam reliquis, qui nostris studiis delectantur, Nicolai interitum communis calamitatis causa esse lugendum, ac deplorandum. Amissum est enim tanquam incitamentum quoddam, quo impellebamur, vel inviti, ad studia non solum litterarum, sed etiam honestatis. Magnam profecto jacturam talis viri mors attulit litterarum studiosis, et latinis musis, quarum ille veluti sacer custos, ut digne colerentur sua diligentia, studio, atque opera effecit, praebens se ducem, atque hortatorem omnibus, qui bonarum artium studia sibi proponerent capessenda. Itaque ut olim Q. Metellus posteriore Scipione domi interfecto, quamvis inimicus palam exclamavit, corruisse romanae urbis moenia: ita dici potest, sublato hoc nostro musarum

cultore, litteratorum virorum domicilium ac diversorium corruisse. Fateor aliquos doctiores atque eloquentiores existere aetate nostra; sed qui humanitate, industria librorum perquirendorum, familiaritate doctissimorum virorum, comitate ipsa, affabilitate, faccetiis, in doctos omnes caritate ac benivolentia, librorum copia, qui quidem omnibus praesto essent, Nicolaum superarit, credo neminem extitisse. Erat semper ejus domus referta doctis, et egregiis viris, qui ad eum quotidie accedebant. Nemo Florentiam, qui aliquid saperet, nunquam adibat, quin inprimis Nicolai domum et libros sibi visendos putaret: hunc omnes propter ejus doctrinam, atque humanitatem observabant, colebant, atque unice ut communem librorum antistitem diligebant. Non me fugit, solere ab invidis, et malivolis quibusdam objici; quod nihil unquam scripserit, nullum ediderit opus dignum nomine docti viri; quibus licet posset responderi satius multis futurum fuisse tacere, quam aliquid scripsisse, cum ineptitudinem suam scribendo propalarint. Tamen sciant, non solum Nicolaum, sed neque Pytagoram, neque Socratem, multosque praeterea summos philosophos quicquam scriptum reliquisse: quos si quis propterea indoctos putet, ipse stultissimus videatur. Denique Salvator quoque noster, qui erat ipsa sapientia, nihil scribere voluit. Itaque nullum ignorantiae argumentum est a scribendo abstinuisse; quin potius suas cogitationes litteris mandasse, persaepe scribentis stultitiam patefecit. Verum non sumpsi nunc ad te id scri-

bendi munus, ut verser in laudibus Nicolai: hoc enim tibi, et caeteris, qui dicendo possunt, relinquendum putavi. Tantum significasse tibi volui, me ex ejus obitu summo dolore, ac moerore affectum: neque enim, cum mecum ipse cogito, me cum Florentiam rediero, si id Deus permiserit, neque Nicolai domum frequentaturum amplius, neque virum quondam mei amantissimum posthac me visurum, ullo modo etiam scribendo possum lacrimas continere. Quem enim animum esse cogitas meum, cum teneam memoria nostram amicitiam a bonis initiis profectam, jam sex, et triginta annos non solum non labefactatam, aut discidio intermissam, sed semper tum crebris epistolis, tum mutuis officiis conservatam, atque auctam fuisse? Nescio, quid caeteri facient, ego certe memoriam ejus studiosissime, ac sanctissime colam, et plus mortui laudibus tribuam, quam dum erat nobiscum (1). Illud enim tunc adulationi tribui potuisset, nunc certo scio omnes pietati et grati hominis officio tributuros. Id profecto scias volo, me lacrimas, quas in funere illius viri praestantissimi, patrisque amantissimi praebuissem, me, cum hanc scriberem epistolam, repetita suorum in me beneficiorum memoria, plurimas effudisse. Vale, et tu quoque, quem ille

(1) Scripsit enim Poggius latino sermone Nicolai Nicolii funebrem orationem, quam Feltrino Bojardo aliisque doctis viris misit, quomodo ex subsequentibus epistolis colligitur. De vita, studiisque Nicolai scripsit Joannotius de Manettis, omnium accuratius qui de eo scripserunt.

plurimum amavit, suam memoriam animo infixam tene. Bononiae X Februarii (1).

EPISTOLA XIII.

Poggius pl. sal. dicit Leonardo Arretino V. C.

Vir eloquentissimus, tuique amantissimus Candidus noster Mediolanensis misit ad me quemdam libellum, in quo scriptae sunt epistolae: altera Alfonsi Hispani ad Archiepiscopum Mediolanensem: altera sua, qua illi epistolae respondet. Rescribit ille epistolae tuae perstans in sententia: Candidus hoc indigne ferens suscipit defensionem tuam, illumque acriter arguit. Loquitur tamen Hispanus, ut mihi quidem videtur, admodum moderate. Tu tamen, quid uterque afferat facultatis ad rem, de qua agitur, legendo intelliges. Laudandae sunt ejusmodi disceptationes, cum vacant contumelia, exercendi ingenii gratia susceptae. Mitto igitur ad te libellum: tu, si videbitur, respondebis Candido, agesque gratias pro sua erga te benivolentia: nam amici officio functus est. Vale et me ama, ut soles. Bononiae III idus Aprilis (2).

(1) Anni 1437.
(2) Anni 1437.

EPISTOLA XIV.

Poggius pl. sal. dicit Feltrino Bojardo Equiti Ferrariensi.

Mitto ad te oratiunculam, quam petis, scriptam a me in laudem Nicolai nostri: nequaquam tamen satisfaciet tibi, cum neque mihi placeat. Sed volui reliquis tacentibus aliquid loqui vel ineptum, quo alios ad dicendum excitarem. Aegre equidem ferebam amicos suos, doctos praesertim, tamdiu silere in causa tam honesta et digna, in qua aliquid excuderent ad memoriam tanti viri. Ipsi tamen sunt fortasse prudentiores, qui res suas edunt maturius, ac elimacius. Ego vero stultorum more quamprimum exprimo quid in buccam venit. Et quoniam primus ad dicendum surrexi, opinor datum iri veniam infantiae meae. Malui enim inepte, quam nihil scribere: quod si caetera displicebunt, id saltem gratum esse debebit, affectio ac pietas mea erga amici memoriam celebrandam. Cum laudatiunculam hanc transcripseris, remittito exemplar, et simul quid de ea sentias, fac me certiorem. Magni enim facio judicium tuum. Vale. Puer meus recte se habet a morbo, a quo jam convaluit. Bononiae XXIX Maii (1).

1 Anno 1437

EPISTOLA XV.

Poggius pl. sal. dicit Guarino suo.

Laurentius de Prato praestantissimus atque humanissimus inter medicos nostrae Civitatis est conjunctus mihi summa benivolentia, ut inter nos major esse non posset. Is habet filium optimum adolescentem Sassarum admodum deditum nostris studiis in quibus evasit doctissimus; est singularis ingenii, et vitae continentissimae, ita ut mores superent vim aetatis. Cum latinis litteris sit plurimum eruditus, cupit adjicere ad doctrinam suam etiam cognitionem Graecarum litterarum, quibus etiam paulum operam dedit. In hoc suo tam honesto desiderio non solum cohortandus est, sed etiam adjuvandus. Itaque cum ad te proficiscatur discendi causa, suscipe eum oro tua solita humanitate, et veluti filium erudias. Rem gratissimam facies patri viro optimo, et doctorum omnium amicissimo. Adolescenti suppeditabis materiam ad laudem et gloriam comparandam. Tu autem optime collocabis beneficium instituendo hunc, qui sit vir insignis tua opera futurus. Mihi vero facies rem ita gratam, ut quicquid in istum conferes officii et doctrinae, id in me ipsum collocatum putem. Si ergo Poggii tui apud te honestae preces valent, fac te rogo, ut is intelligat has litteras sibi plurimum profuisse. Annumeres

ipsum inter filios tuos. Aliquando enim plus laudis et voluptatis percipimus ex iis quos bonis artibus educamus, quam ex illis, quos procreavimus: cum illos voluntas, hos necessitas nobis tradiderit sublevandos, ut in aliis opera et pietas nostra laudetur, in aliis jus naturae. Vale; et si me amas, Sassarum quoque, ut pariter ames velim. Scripsi nuper post obitum Nicolai nostri epistolam quamdam ad Carolum Arretinum, in qua dolui de morte sua. Postmodum cum viderem nullum ex amicis aliquod scribere ad laudem suam, praestiti ei munus quod solum defunctis potest concedi. Edidi oratiunculam funebrem, in qua etsi non omnes suas laudes expressi, eas tamen, quae tunc in mentem venerunt, stilo complexus sum. Licet paucis, non enim multis utendum est verbis apud aures multorum ita delicatas, ut nihil probent, nisi quod eloquentiam Ciceronis repraesentet. Epistolam ergo, et oratiunculam tradidi Augustino de Villa tibi deferendas, ut eas legas, cum otium erit. Nam licet parum culta sit oratio, quia tamen virum olim tibi amicissimum laudat, certus sum quae scripsi, te, et si non mea, at saltem causa mortui probaturum. Vale, et quid de eis sentias, rescribe. Bononiae die V Junii (1).

(1) Anni 1437.

EPISTOLA XVI.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Barbaro viro insigni.

Significavi nuper per epistolam Carolo Arretino dolorem quem suscepi ex morte nostri Nicolai viri, ut nosti, praestantissimi inter caeteros nostrae aetatis viros. Expectabam vero in dies, ut aliquis ex his nostris doctoribus scriberet aliquid in laudem ejus, qui fuit doctis omnibus amicissimus. Et quidem aequum erat quempiam eorum, qui scribendo possunt, aliquid cudere, saltem exercendi ingenii gratia in memoriam illius. Sed cum viderem nullum, quod scirem, id munus suscipere, arripui ego calamum, et inter multas occupationes, cum publicas, tum privatas, paucis complexus sum, quae ad ipsius commendationem spectabant. Qua in re nihil mentitum me esse profiteor: nihil in eum contuli alienum suis moribus, et doctrina. Summa enim fuisset impudentia, voluisse mendacem esse apud eos, penes quos semper vixerat, et oratio habetur: quin potius vereor, ne paulum cumulate recensuerim, quae in ejus laudem verissime dici posse videbantur. Sed ea relinquo eloquentioribus, qui copiose et ornate cogitationes suas mandare litteris possunt. Ego mulierum more, quarum subita consilia prudentiora habentur, quicquid in mentem venit primo impetu expressi, relinquens aliis uberem, si

voluerint, scribendi facultatem. Cum autem sciam te fuisse Nicolao, dum vixit, summo amore conjunctum, arbitror te libenter lecturum, quae ad ipsius nominis famam pertineant. Itaque tradidi Hermolao nostro viro humanissimo, et epistolam, et oratiunculam, quas descripsi, ut ad te deferri procuraret. Leges igitur illas, cum tempus otium tibi suppeditabit. Et licet res parvi sit aestimanda, si auctorem consideres: tamen propter Nicolai memoriam tradas caeteris legendam. Non enim, si satis digne pro Nicolai virtute a me scriptum non est, idcirco ejus nominis memoria est obliteranda. Quanquam oportuerat laudes ejus, qui eloquentissimus extitisset, pari eloquentia fuisse descriptas. Sed ego, quod vires meae tulerunt, officium praestiti: reliqui ornatius scribendi curam suscipient. Vale, et tuum mihi de epistola atque oratione verum, et ex animo judicium perscribe. Bononiae die X Junii (1).

EPISTOLA XVII.

Poggius pl. sal. dicit Guarino suo V. C.

Heri cum revertissem ex Florentia vir doctissimus Aurispa noster reddidit mihi tuas literas quas legi summa cum voluptate. Sunt enim refertae humanissimis verbis, et singularis erga me amoris significatione. Sed hoc jamdudum mihi ipse

(1) Anni 1437

persuasi, me a te unice et diligi, et amari, ut quamvis grata mihi sit haec tuae in me affectionis commemoratio, tamen nihil novi abs te afferri videtur. Placet admodum meam intercessionem apud te tantum valere, ut quos tibi commendo, omni benivolentia atque officio complectaris. Oratiunculam nostram funebrem a te et Mecoenate nostro probari summe laetor. Etenim si ille pulchrum ducebat laudare se a laudato praesertim viro, cur non et ego summa jucunditate afficiar, commendari scripta mea a doctissimis ac probatissimis viris? Non enim imperitorum virorum judicium, sed eruditorum auctoritatem solet rebus afferre. Itaque licet eam orationem cognoscam multo inferiorem tua commendatione, tamen tali testimonio vires et robur apud legentes sumat necesse est. Sed haec hactenus. Mecoenas noster magna me de spe, quam de eo conceperam dejecit: loquar tecum aperte. Si tantum tribuit indoctis, quantum doctissimis: si eodem animo improbos, probosque complectitur; si nihil inter vitia, et virtutem discernit: si infames, si scelestos ornat, ac fovet; jam ipse illis similis evadat necesse est. Nam aut . . . . inter bonos et malos aut . . . . illis quos probat quorum utrumvis tali viro indignum videtur. Qui enim aliter fieri potuit, ut monstrum informe horrendum omnibus notum, cujus flagitia in vicis etiam decantantur, adeo extulerit, adeo in sinum, ut ita dicam, receperit, ut etiam optimo ac con-

tinentissimo viro plura minime praebuisset. Doleo propter Mecoenatis famam, quae admodum laeditur apud doctos, quibus summa levitas videtur, adeo prolapsum esse, ut quae dignitas summis et egregiis viris in testimonium honoris tradatur, eam huic levissimo ac impurissimo histrioni, in signum turpitudinis, in notam ac maculam equestris ordinis concesserit. Atqui errat Mecoenas, si laudes plebeculae hac ratione aucupatur, si popularis levitatis auram sequitur. A doctis, et probatis viris dicta ac facta nostra commendanda sunt: hi sunt, qui nos possunt extollere, quorum laudes firmis radicibus nituntur. Sed quae rerum monstra scribuntur? Dii boni adeo sui oblitus est homo noster, ut etiam ingentia dona, annua praemia, ut ille gloriatur, litteris largiatur? Tuum est Guarine monere illum, ut se retrahat, ut se contineat, ne fiat vulgi fabula: etiam apud majores ista narrantur summa cum derisione. Si tibi videtur, legito ei has litteras: amice enim scribo, et ex veritate haec scripsi manu festina. Vale Bononiae die V Julii (1).

EPISTOLA XVIII.

Poggius pl. sal. dicit Petro de Monte Prothon. V. C.

Recepi una cum muneribus tuis litteras quoque jucundiores quodammodo ipsis muneribus.

(1) Anno 1437

certe mihi suaviores. Multa enim disputant de re uxoria, quae quoniam te magis aliorum verbis, quam re ipsa cognovisse, atque audisse credo, missa faciam, neque eis respondebo, quae tibi incognita esse arbitror. Ego quidem, qui periculum feci eorum, quae in uxores scripta legeram, secundum ferme annum transgressus, summam voluptatem, praecipuam animi quietem ex conjugio percepi. Qua in re tantum absum ab illorum opinione, qui uxorem ducendam minime putaverunt, ut eos ad eam sententiam magis natura perversa, et moribus a communi consuetudine abhorrentibus motos, atque inclinatos fuisse arbitror, quam mulierum. Hominem siquidem in communem usum, atque in publicam utilitatem procreatum esse sapientes volunt: quae maxime duo in conjugio servantur. At nonnulla difficilis reperitur: id quoque in pluribus hominibus accidit, neque tamen propterea repudiantur a consortio mulierum. Quod si quis studia litterarum per eas impediri putat, vivat licet in solitudine, ut libet, atque orbitate. Equidem Socrates, Plato, Aristoteles, multique praeterea philosophorum principes duxerunt uxores: neque ideo indoctiores evaserunt, aut a philosophiae studiis recesserunt. Multas secum molestias dicuntur afferre uxores: sed multo pluribus ac majoribus nos servuli afficiunt instabiles atque infidi, cum enim ad tempus serviant more meretricium, non hominem respiciunt, sed praemium; quod si absit, velut aves alium agrum quaerunt, in quo sit uberior victus. Uxor

vero curarum ac voluptatum conscia tecum laetatur, ac condolet, tibi respicit, cum quo usque ad extremum diem novit se esse futuram: maestum solatur: laetanti arridet, totamque se accommodat ad viri sui voluntatem. Quod si absque uxore vitam agas, aut ancillarum superbiam, aut famulorum petulantiam atque insolentiam subire oportet, qui, te flente rident, ridente tristantur, rodunt opulentum, pauperem contemnunt. Melior ergo, et laudatior vita habita est semper illorum, qui nuptiis vacarunt, quam qui uxore caruerunt. Utilior certe est, et reipublicae accomodatior. Ego quidem in diem consolor magis, posteaquam in conjugio vixi, mihique persaepae succenseo, qui tam sero rectum vivendi iter cognovi. Sed haec hactenus. Munera tua fuerunt uxori acceptissima; pulchra enim sunt et venusta. Mihi autem nihil acceptius potuisses facere: digna quidem sunt, quae mittantur a te, et deferantur non solum ad Poggium sed ad majorem virum. Ago tibi meo, atque uxoris nomine gratias, et quidem ingentes, uberiores uxor, quae vestem confecit, in qua forsan aliquid dignum conjugio moliemur. Tu vale, et mei memor. Bononiae die XVIII Julii (1).

(1) Anno 1437

EPISTOLA XIX.

Poggius pl. sal. dicit insigni viro Leonello Equiti Estensi.

Nuper cum in camera Pontificis esset sermo inter quosdam de epistolis Hieronymi, atque ego duo volumina ex eis pulcherrima habere dixissem: subdidit quidam ex adstantibus, se mihi obtulisse pro illis octuaginta aureos, neque tamen habere potuisse. Atqui inquam ego quondam Cardinalis Sancti Sixti pluribus verbis saepius me rogavit, ut eos codices sibi traderem, seque pollicitus est ex eis centum aureos se daturum, praeterea se loco muneris eas epistolas habiturum. Et forsan tum praecibus, tum praetio motus vendidissem, nisi absterruisset me Nicolaus de Nicolis, qui cum censoria illa sua objurgatione multis verbis me retardavit, asserens id infirmi atque abjecti animi, ac penitus alieni a litteris signum fore. Quare permotus decrevi epistolas apud me continere. Haec sentiens vir doctissimus, mihique amicissimus Aurispa noster, dixit se summe cupere habere similes epistolas in suppellectili tua. Itaque admodum rogavit, ut vellem eas tibi vendere, neque in praetio ullam moram, aut dissensionem futuram. Ego cum aliquandiu restitissem, decrevi tandem obsequi voluntati suae, eo tamen praetio, quod alias oblatum erat, hoc est, ducatorum centum.

Rogatu ergo Aurispae misi pro codicibus, quos mecum habeo. Tua ergo sit, velle, aut nolle libros habere. Utrum decreveris, aeque mihi gratum erit. Non enim inopia illos a me abstraho, sed tibi satisfaciendi cupiditate. Hoc tamen affirmo, non esse in universa Italia qui duobus codicibus, aut plures habeat, aut pulchriores epistolas, aut magna ex parte emendatiores. Eques tuus Reatinus cum huc antea ostentationis causa accessisset, volebat enim omnibus esse notam stultitiam suam: dixit cuidam Ferrariensi, te sibi ostendisse litteras, quas scripseram ad Guarinum de rebus suis: hoc non existimo fuisse verum. Attamen abs te scire cupio, an hac in re, sicut et in reliquis assolet, sit mentitus. Is postmodum iterum rediens nonnullis quaerentibus se iturum dixit ad patruum, nonnullis vero te illum destinasse Florentiam pro oratore: periturum se e vestigio aestimaret, si ullum verbum non mendosum, non fallax, non confictum prodiret ex ore suo. Veritate plenus est: nunquam enim aliquid veri protulit lingua ejus. Vale Bononiae die XXIIII Julii (1).

EPISTOLA XX.

Poggius pl. sal. dicit insigni Principi Leonello Equiti Estensi.

Vir doctissimus Aurispa noster dedit mihi nummos aureos, quos misisti, et simul retulit visum

(1) Anni 1437.

esse nonnullis codices illos non esse tanti aestimandos, sed misisse te loco muneris, quicquid dares praeter aestimationem. Miror tam aequos librorum licitatores Ferrariae repertos, tanquam ibi esse soleat excellens quaedam librorum vendendorum officina, ut tam recti inveniantur, atque exercitati viri in actione libraria. Profecto qui ita judicarunt, aut nunquam vendidere codices, aut perraro emerunt. Similes vero eos nunquam aspexisse certo scio, ut ridiculum videatur recte potuisse aestimare rem, quam nunquam antea viderint. At vero in hac Curia, et Florentiae quoque, ubi et librorum, et emptorum, ac venditorum major est copia, secus multis videtur. Veruntamen quod das libens accipio, sive praetio, sive dono id fiat. Nihil enim mea refert, ut inquit Terentianus ille, dum potiar modo. Quicquid autem largitum te credis est mihi gratissimum, non tam re ipsa, quae parum quid est, a tali praesertim viro, quam spe deinceps te ampliora daturum. Est enim consuetudo bonorum principum, qualem te esse videmus, perseverare in eo, quod bene coeperunt. Itaque magna sum in spe, te, postquam ingressus es iter largiendi, progressurum ulterius in officio liberalitatis, praesertim erga eum, qui et libenter accipit, et a te libentissime. Utaris ergo saepius hac tua munificentia quae quidem receptius collocabitur, quam apud Trasonem illum qui procul dubio jamdudum exuriret cum illa sua magniloquentia, nisi in militiam tanquam in asilum suae inopiae, confugisset. Quod autem de Litteris

ostensis fuerit mentitus, non est mirum mihi praecipue, qui novi Protheum illum ita totum ex mendaciis confictum, ut continuo se putaret interiturum si quid verum proferret. Cum enim mendacia plus sibi ad hanc diem profuerint, quam aut docendi ludus, aut antiqua militia, aut ars memoriae dediscendae, digna res est ut in eo se exerceat, quod sibi intelligit profuisse. Vale, et me, ut soles, ama. Bonaniae die XV Augusti (1).

EPISTOLA XXI.

Poggius pl. sal. dicit Cristophoro Caucho.

Summas habeo tibi gratias, agoque, mi suavissime Cristophore, pro singulari humanitate, quam tuis ad me litteris ostendisti, provocans me ad mutuam benivolentiam atque ad amicitiam; qua nullum sanctius nullum praestantius rerum humanarum vinculum reperitur inter mortales: nihil enim mihi gratius, nihil jucundius, nihil acceptius esse potest copia amicorum, quorum praesidio utimur in rebus adversis, et consilio in secundis, ut ex altero certum subsidium adsit, ne deprimamur fortunae impetu, alterum moderationem quamdam animi praebeat, ne, ultra quam deceat, extollamur. Et quidem certe omnes vulgares amicitiae aestimandaę sunt praeter eas quas tum bonorum morum, tum optimarum artium

(1) Anni 1437.

studia contraxerunt. Itaque cum intelligam, tum ex tuis litteris ornate atque eloquenter scriptis, tum ex verbis multorum te majorem in modum profecisse in studiis humanitatis et doctrinae, quibus ego quoque licet nulla cum re ab ineunte aetate paulum operae impendi, sane perspicio summam benivolentiam summumque amorem inter nos futurum. Intercedunt enim ea quae ad conciliandam amicitiam plurimum posse consueverunt. Quapropter cum abs te sim per litteras provocatus, non committam, ut videar tibi cedere aut scribendi officio, aut benivolentiae. Neque est, quod me, ut ais, admodum cupias videre. Plura enim fortasse tibi de me persuasisti, quam mea praesentia queat praestare. Litteris vero inchoatam nostram amicitiam, quae quidem id agunt, ut cum assentibus colloquamur, epistolis quoque, et mutuis, si quando facultas detur, officiis conservemus. Colloquendi desiderium ad commodiora tempora differamus. Libellum quem ad me misisti perlegi diligenter: epistolam, quae Guarino ascribitur, procul dubio affirmarim non esse Guarini; cujus genus dicendi satis mihi est cognitum. Novi ingenium, novi eloquentiam, novi doctrinam, et scribendi morem, ut nihil in illa sit, quod ulla ex parte redoleat Guarinum. Epistolam vero illam arbitror esse conscriptam ab aliquo ex suis discipulis, vel altero quopiam, qui et Guarinum diligat, et odiat Georgium (1), ut uni se gratificari velit,

(1) Hic est Georgius Trapezúntius. De eo vide Tirab. hist

alterum exagitare: nam plura in ea scribuntur, pace dixerim scribentis, quae ornatius, eloquentius, copiosius, prudentius, ut opinor, per Guarinum scripta, et objecta fuissent, sive vera, sive falsa existant. Neque etiam Guarinum adeo timidum ac formidolosum judico, vel ita jejunum in scribendo, ut aut sibi dubitandum fuerit, suscipere palam suam defensionem, aut ad alterius praesidia confugiendum. Trapezuntium vero doctissimum video hominem, et admodum eloquentem, cujus scripta mihi admodum placent. Sed mallem eum impendisse operam in causa magis honesta, magisque accomodata ad explicandas ingenii vires. Conjectura vult assequi, ut Guarinus auctor et scriptor extiterit epistolae conscribendae. At hoc neque me judice, neque quovis alio, qui recte Guarinum norit, unquam probabit, cum absint plurimum a scripturis suis; scribere tam multis verbis, tam contumeliose, tanquam in reum manifesti criminis, de quo nihil afferas praeter opinionem quamdam, et quidem ab aliorum opinione et sententia disjunctam, non recte consulti hominis esse videtur. Quod autem is me suis verbis honorat, esset mihi gratius, si non vergeret in contemptum Guarini, cujus honori a me semper consultum fuit, et praesertim in nostra controversia, qua ei respondi, cum is me paulum lacessisset, quod Scipionem suo praetulerim Caesari. Egi tamen ita meam defensionem, ut eum minime offenderem, nisi ubi causa id necessario postularet. Hoc certe recte videor posse dicere, me parcius

quam acceperim, nonnulla retulisse. Ubi enim ratione pugnandum est et argumentis, sunt omnino rejiciendae voces contumeliis et jurgiis refertae, quae et auditoribus sunt ingratae, et causam nostram minime reddunt probabiliorem. Veruntamen suus cuique mos est, et inquit Cicero, sponsam cuique suam placere. Ego utriusque honorem diligo, ipsi inter se scriptis contendant, ut libet. Poggius tuus aequus erit spectator. Vale, et quoniam me provocasti in benivolentia, perseveres velim. Bononiae X Kalendas Octobris (1).

EPISTOLA XXII.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco.

Cum pluribus in rebus factus sum negligentior ac tardior, quam solebam, tum vero maxime in scribendi cura; ejus rei culpam primum tribuo aetati, quae natura ipsa reddit homines remissiores, deinde occupationibus, quae majori ex parte versantur in scripturis, ut me persaepe taedium et satietas scribendi capiat; tum autem uxor suo et optimo jure nonnihil subripit temporis, neque me invito. Id enim et honestum est, veluti curarum diversorium, et omnium amoenissimum. Adest etiam rei domesticae solicitudo, quae et ipsa vindicat sibi suam et praecipuam portionem. Quorsum haec tam multa inquies? ut

(1) Anni 1437.

non mireris, si non respondeo omnibus epistolis tuis; quibus tamen vel paucis verbis rescriberem, si quid esset, quod magnopere responsionem postularet. Sed sunt ea, quae vel me tacente tibi possint satisfacere. Nam abs te me amari, meque probitatem tuam summe diligere, jam et cognita et trita inter nos sunt, ut ea repetere superfluum videatur. Tua tamen observantia et diligentia in conservanda amicitia est mihi gratissima. Epistolas ad Nicolaum, quando commoditas se offert, ad me remittas velim, praeter eas nullas adhuc habere potui. Addam illius oratiunculam funebrem in testimonium amoris erga se mei. Si qua alia postmodum in manus inciderint, permulta enim sunt, illis adjicientur. Orationem, quam scripsi in funere Cardinalis Florentini, cura per aliquem ex tuis hic scribi; vel expecta, quoad nos Ferrariam veniamus: tunc rebus meis utere ut tuis. Vale et Gasparrem nostrum meis verbis saluta. Bononiae pridie kalendas Octobris (1).

EPISTOLA XXIII.

Poggius pl. sal. dicit insigni Equiti Leonello Estensi.

Baptista de Albertis vir singularis ingenii, mihique amicissimus scripsit fabulam quamdam quam Filodoxeos appellat, summa cum elegantia

(1) Anno 1437.

ac venustate eam tibi dicavit, ut in tuo nomine edatur, quod sibi et dignitatem allaturum putat, et auctoritatem. Suscipies igitur, carumque habebis id munus, quod proficiscitur ab homine penitus tibi deditissimo. Nam certo scias velim, Baptistam nostrum tanta esse erga te affectum benivolentia, quanta esse potest maxima: cui si respondebis in amoris officio, incitabis alios ad te ornandum litteris, atque extollendum. Hoc nequaquam existimes parum conferre ad gloriam consequendam. Solae enim litterae reddunt hominem apud posteros immortalem. Vale, et me ama. Bononiae die XII Octobris (1).

(1) Anni 1437

POGGII

EPISTOLÆ.

LIBER SEPTIMUS

EPISTOLA I.

Illustri Principi Domino Joanni Fr.
Marchioni Mantuae.

Joannes Cassianus vir doctissimus nostrae religionis illustris princeps in quadam collatione prioris operis sui scripsit, videri sibi discretionem (eam, ut opinor, prudentiam caeteri appellant) esse virtutum omnium maximam, et quasi caeterarum parentem quamdam ac moderatricem: id multis comprobare nititur, tum rationibus, tum exemplis. Plures enim fuisse, refert, qui non adhibito recto judicio ad res agendas, cum nequaquam discernerent vitia a virtutibus, se in animae ac corporis ruinam praecipitarunt. Et quidem mea sententia rectissime sentire videtur.

Nam cum plurimis virtutibus vitia quaedam proxima, et ferme similia videantur, (non enim accipiuntur vitia, ut ait Hieronymus, nisi sub umbra, specieque virtutum:) si quis non recte discreverit, quod aliqua graviori mentis perturbatione commotis solet accidere, quid ratio praescribat, quatenus quid appetendum fuerit aut fugiendum, necesse est delabi in errores permultos, qui postea revocata ratione, adhibito consilio, ipso etiam rerum usu fiunt nobis notiores, ut jam tandem, licet sero, et ubi penitentia nihil confert, recognoscamus nos imprudentia lapsos, et judicio rerum perverso. Quo magis sapientis esse videtur, accomodata singulis negotiis discretione, et praesentibus rebus consulere, et prospicere futuris, neque una quadam in sententia esse ita fixum ac perseverantem, ut multi solent, qui turpe ducunt mutare consilium, ne non recte sensisse videantur, ut id potius obduratio atque obstinatio animi judicetur, quam bene consulti. Illud quippe videtur esse turpissimum, accidere in eo presertim, de quo certa sit opinio sapientiae, ut cogatur dicere, non putaram. Neque vero ea me sapientia praeditum esse scio, ut plus videre me quam te ipsum arbitrer; praesertim in rebus tuis. Scio enim te principem esse omnium nostrae aetatis doctissimum ac prudentissimum; scio te ad ea, quae agis, posse adhibere summam sapientiam atque animi moderationem. Sed et illud etiam novi, non solos principes esse sapientes, et eos

aliquando labi, falli, et decipi posse. Ducuntur enim saepius in actionibus suis aliqua passione pergravi, quae illos seducat a recta sententia. Magnum est, inquit Cicero, revocare mentem a sensibus, sed et illud etiam maximum non cedere morbis animi, non superari a passionibus, quae nobis a sensibus ingeruntur; quae ubi dominantur, seducunt nos a recto consilio, auferunt vere judicandi facultatem, nec ullum relinquunt rationis, aut consilii locum. Quod si qui sunt, qui variis gravibusque jactentur passionibus, qui suis obsequantur cupiditatibus, qui suae prudentiae blandiantur, ii sunt maxime rerum domini, qui et ipsi sua sponte feruntur aliquando impetu quodam in preceps una aliqua injuria, aut cupiditate commoti, neque ab aliis sustentantur. Nam quicquid agunt recte, an perperam, laudatur ab omnibus: adstat adulatorum turba: quae sola ratio regibus, ac principibus grata esse solet: recte consultum, rectissime esse factum asseverans. Id tantum loquitur, quo putet se principis gratiam consequi, ac benivolentiam. Potentiores veritatem reticent, offensionem verentes; humiliores non audent efferre ob formidinem poenae. Itaque cum apud eos ut plurimum verum sileat, accidit persaepe, ut veritatis audiendae inopia, in magnas incidunt molestias et calamitates. Augustus Caesar, cujus felicitas per omnes historias decantatur, relegavit filiam ob adulterium palam proposito edicto, quod illius flagitia continebat: postmodum ductus poenitentia, quod non illa

silentio oppressisset, quod se, quod domum, quod genus suum tam turpi nota sceleris maculasset, saepissime exclamavit, eorum nihil sibi eventurum fuisse si Marcus Agrippa et Moecenas viverent, quos solos fuisse testabatur qui sibi vera loquerentur. Non autem deerant, qui verum dicerent si illud audire voluissent. Sed mos est regum atque imperatorum praesentium odio laudare, ac deflere amissa, et id libere atque impune optare quod jam nequeat impetrari. Ego autem rem ipsam, de qua sum scripturus, considerans diligenter, cum ad te animum verto, addubitare cogor, ne tu quoque in futurum sis culpaturus inopiam amicorum, accusaturusque paucitatem eorum, qui apud te in causa filii vera loquerentur, teque traducerent ab acerbitate sententiae ad mansuetiorem ac rectam quamdam judicandi rationem. Illud vero affirmare aussim, si animadversionem illam ad hanc diem distulisses, mitiorem certe sententiam te fuisse laturum, potiusque obsecuturum pietati paternae, quam ulciscendi cupiditati. Deposuisset tempus ipsum tam severi judicis personam, induissetque charitatem atque affectionem illam natura insitam, quae patres cogit pios esse in filios, ac in eorum erratis misericordes. Sed quoniam veteri proverbio, acta agi non possunt, id consilium adhibendum videtur; ut non iracundia, sed clementia; non inscitia, sed consilio; non ad vindictam, sed emendationem, atque utilitatem tuorum, id abs te summa prudentia factum esse existimetur; quod erit, si nimiam severitatem ad clementiam traduces,

teque eum nobis restitues in filii errato, quem te esse aequitas jubet, natura postulat, amici optant, divinarum humanarumque legum ratio persuadet. Mulctasti olim filium pergrandi admodum poena, quod militiae cupiditate flagrans te invito abiit, et se ad eum locum contulit, unde aliqua suspicio oriri poterat apud nonnullos, qui id alio consilio factum putarent: quod si tollatur e medio, omnis gravioris poenae causa cessabit. Omitto quaerere, aut disputare sapienter ne factum fuerit, tam aspere ulcisci leve, ut existimant, filii crimen (1): varias enim video hominum sententias. Sunt qui filio ignoscendum dicant, qui bellicae laudis opinione motus egregiae indolis adolescens se ad eam negotii rationem contulit, ex quo plurimum gloriae se consecuturum sperabat. Cum enim permultos vidisset etiam infirmae conditionis viros, qui sibi maximam famam, magnam potentiam, plurimas opes rei militaris exercitio comparassent, eosque solos haberi in praetio atque in honore, quibus arma vires subministrarunt: haud impudenter id genus vitae videbatur appetere, vivo praesertim patre, qui ad gubernacula principatus vigilaret, quod sibi ac suis, tum dominii conser-

(1) Filius primogenitus Joannis Francisci Gonzaga Marchionis Mantuae, juvenili ardore, et nimium appetens militarem gloriam, paternam hoc tempore reliquit domum, et militavit sub famigerato duce Nicolao Piccinino, qui ad stipendium Principis Mediolani erat bello quod gerebat in Venetos; quorum dux ipse Gonzaga. Iratus fuit pater filium videns inter inimicos pugnantem. Propterea exhaeredavit illum, et reum capitis judicavit. Erroris postea poenituit filium; et Poggium intercessorem postulavit, ut iram mitigaret paternam; quod fecit ipse Poggius hac perlonga et elaborata epistola, quam Victorino Feltrensi misit Marchioni tradendam.

vandi, tum adipiscendae gloriae facultatem suppeditare arbitrabatur. Quidam secus, nullam spem laudis et gloriae voluntati paternae praeponendam esse censent, praestareque ajunt otiosum atque ignobilem domi degere obtemperantem patris praecepto, quam gloriosum, extorrem, ac rebellem patri. Id tamen commendari ab omnibus sentio, quod in hoc suo sive errore, sive lapsu, sive, ut gravissime loquar, stultitia nihil se indignum admisit; nullo se maculavit scelere; nullo dedecore inquinavit; nihil secum abstulit; nihil detulit, ut plane constet juvenili impetu impulsum: nihil, nisi de cupiditate honoris et gloriae, cogitasse. Qua in re neque solus neque primus de via decessit. Extitere, et nostra et superiorum temporum memoria permulti, qui studio gloriae multo plura ac majora patraverint, non solum adversus parentes, sed etiam contra patriam, quae longe est parentibus praeferenda. Difficile est enim servare modum, ubi illustris gloriae acquirendae facultas videtur esse proposita, praesertim magnis ingeniis, et ad laudem ac virtutem erectis. Mihi vero, ut erratum esse a filio forsan concedatur, ita videtur fuisse castigationem tuam trucem nimis atque inhumanam. Nam quemadmodum non omnes filiorum exscessus boni patres familias animadvertendos putant, ita etiam quidam eo pacto sunt vindicandi, ut prosit ad morum vitaequae emendationem. Eam legum mentem vult esse Plato, non ut cives perdant, sed ut efficiant meliores, atque omnis poena ad eorum quibus infligitur utilitatem

referatur. Leges enim medicorum more salutem civitatis debent respicere, et civium incolumitatem at vero pernitiosa medici cura esset non ad salutem aegroti, sed interitum spectantis. Nec minus imprudentis patris esse videtur, malle filium puniendo, ubi spes sit valetudinis, perdere, quam servare. Quod si medicos videmus etiam alienissimos homines morbo affectos non destituere, quoad aliqua vitae spes relinquatur, sed afferre remedia, quibus restituatur valetudo, nonne omnia sunt tentanda patri, ut animum filii labentem et aegrotum, ad meliorem mentem sua cura indulgentiaque reducat? Profecto non minus pro animorum, quam corporum, salute conseo elaborandum. At vero tu quamdam insuetam severitatis normam in filii morbo praeferens, ad demonstrandam nescio quam mentis severitatem id egisti, quod ante te nemo pater admisit, e vestigio, ad extrema et deplorata remedia descendisti. Rejectus est a patre filius, abdicatus, relegatus, reus capitis judicatus. Quid hoc asperius, quid truculentius etiam erga facinorosum externum quemdam potuit excogitari? Si contra te ille aliquando, si in fratres conspirasset; si patriam hostibus prodere studuisset; si civili, aut fraterno sanguine impias foedasset manus, nequaquam ad expetendam a filio vindictam vehementior extitisses. Vide quaeso, ne dum prudentis viri, aut severi patris in majorum nostrorum exemplis imitandis nomen subire cupis, crudelis vel minus providi famam consequaris. Neque enim tibi aut Brutum illum superiorem ante

oculos proponas, aut M. Torquatum, quorum alter natos

Ad poenam pulchra pro libertate vocavit.
Infelix !

Ut Virgilius scripsit: alter transgressorem sui edicti filium saevus securi percussit. Non isti suam, sed reipublicae, pro cujus incolumitate certabatur, causam agebant; non suo, sed patriae nomine poenam a filiis exigebant. Nolo enim existimes Torquatum illum semota patriae utilitate, quae rei militaris disciplina continebatur, tam asperum, aut acerbum in filii supplicio fuisse futurum. Non paternum edictum, sed reipublicae auctoritatem filius contempsit, neque ille parentis, sed patriae salutem in discrimen suo exemplo vertebat: non in privatam Torquatorum familiam, sed in universam urbem perniciosum exemplum contempti consulis inferebat. Itaque ut severitas tunc laudata est patris ob publicam utilitatem, ita crudelitas damnata extitisset, si ille securi suas non reipublicae injurias ultus fuisset. Perscruteris licet veteres, ac novos annales, neminem prorsus reperies patrem ob tam leve erratum tam graviter in filium animadvertisse. Tu solus novo exemplo inventus es, qui durius levem filii culpam mulctasti, quam caeteri gravissimas hostium offensiones. Quid enim per Deum immortalem commisit, quod esset tali sententia vindicandum? Non ille in rempublicam deliquit sed in parentem: non contra publicam venit utilitatem sed privatam: non aliorum salutem sed propriam in discrimen adduxit.

nullos excitavit seditionum fluctus, nullos tumultos procuravit: nulla arma intulit: non tibi nocuit, sed sibi: vel contempsit quae caeteri appetunt, vel aliis utenda reliquit: sprevit ad tempus paterni dominii usum: alienis servire maluit, quam suis imperare. Adeo ne atrox hoc judicandum est facinus, ut extremo supplicio dignum putes? equidem multos novi, qui hoc potius existimabant laudandum, qui hanc erectam mentem ad praemia virtutis summopere extollant, qui vel parum errasse filium asserant, vel leviter esse reprehendendum. Abiit ille contra tuam voluntatem, contempsit edictum patris; at non levi ex causa non exigua spe ingentis gloriae domum reportandae, non dolo, sed virtutis gratia consequendae. An quia majora quaedam sibi proponebat ad honorem et decus natus adolescens, quam forsan illa aetas ferebat, idcirco debuit, ira patris tantum effervescere ad injuriam referendam? nonne cogitasse oportuit patris esse agere filii causam, tueri etiam errores? nonne ipso humanitatis jure, ipsa charitate paterna, ipso naturae praecepto, quae filios etiam discolos parentibus commendat, fuit abs te ad mitiorem sententiam declinandum? nonne adolescentiae indulgendum, nonne erroris ratio habenda? perspice, quid sentiam. Ego hoc excellens ingenium, hanc egregiam virtutis indolem, hanc animi magnitudinem, qua te, qua patriam, qua paternas opes, qua coequalium studia reliquit, non culpandam, sed quodammodo laudandam: non puniendam, sed praemio donandam, duco. Si de

parricidio, quod est omnium scelus immanissimum filius aliquando cogitasset, leviori certe poena juvenile erratum ulciscendum fuit. Adhibitus olim Caesar Augustus in consilium a Tito quodam Arrio, qui filio in parricidio deprehenso, de eo statuere de amicorum sententia volebat: audita causa petiit, ut quisque prius suam sententiam scriberet, ut cujusque liberum esset judicium. tum postremus omnium censuit relegandum, memor non de quo censeret, sed cui in consilio adesset. Oh! singularem, et pene divinam sapientissimi Imperatoris prudentiam! Videbat ipsa lege naturae Augustus etiam in manifesti parricidii reo, quo nihil scelestius, nihil sceleratius excogitari potest, tamen non esse a patre extremum supplicium, crudeliorem poenam, meritam cladem filio irrogandam. Intelligebat paternam pietatem omnem criminis filiorum magnitudinem superare oportere. Cognoscebat, quae delicta ab aliis gravissime vindicantur, esse a patre leviter castiganda. Non est enim eadem lex patribus in filios erga se delinquentes, quae in reliquos costituta. Advoca hunc tu quoque virum in consilium amicorum, recita crimen, poenam inquire, sententiam sciscitare. Nempe qui parricidii culpam tam clementer puniendam est arbitratus: multo clementius hunc filii excessum, aut uti rem nugatoriam ridebit, aut parvi existimandam judicabit. Austeritatem certe tuam, ne dicam crudelitatem, admodum culpabit, qui adeo vehemens, atque acer, asperius mulctaveris leve delictum filii, quam ipse

parricidii grave scelus. Sed fac, oro, filium graviter deliquisse, admississe aliquod nefandum scelus, immane facinus cogitasse, fac poenam mereri; nunc sese revocat, facti poenitet, fatetur erratum, veniam petit, et quidem adolescens a sene, imprudens a prudente, miser a fortunato, filius a patre; nunquid est venia deneganda? Lapsus est juvenili quadam levitate, sed ad gloriam spectante; nunc ad mentem saniorem rediens, pedem retrahit; delictum recognoscit; supplex ad patrem venit: nunquid est rejiciendus? Deflexit aliquando aetatis cursum a recta via errabundus, nunc ad iter constitutum, atque ad meliorem frugem, ut aiunt, se convertens, misericordiam filius implorat a parente; nunquid repellendum dicemus? Adest, rogat, obsecrat, filius patrem lacrimis compellat exorans, ut non omnino paternam rejiciat charitatem, ut ad se redeuntem patris oculos flectat, mentem ne removeat, errati memoriam deponat. Adeo ne ferreus eris, atque inexorabilis ut te patrem esse obliviscaris ut veniam deneges? ut asperneris filii obsecrantis preces? ut si quempiam fuisse quondam audires, qui filium armis famam quaerentem, quod se reliquisset in militare munus profectus, tam gravi poena affecisset, petentem insuper patris clementiam repulisset: si novi tuam humanitatem, si prudentiam, si doctrinam, damnares profecto patris illius pervicacem duritiem; diceres filio fuisse parcendum; affirmares imitandum nostri Salvatoris exemplum, qui retulit laetiorem fuisse pastorem propter unicam re-

pertam ovem, quam etiam humeris domum reportavit, quam super caeteris nonaginta. Commendares quoque illius patrisfamilias consilium, qui in reditu luxuriosi quondam filii convivium struxit, adhibita symphonia, quo patris laetitia ostenderetur. Non inscite poeta comicus introduxit Menedemum illum senem, cujus durities, atque asperitas filium adolescentem in militiam proficisci compulisset se macerantem in agro ac torquentem, docens adolescentiam esse erroribus subditam. Concedendum paulum aetati a patribus: nec illos in filiorum delictis debere esse immites, inhumanos. Hunc secutus Cicero noster in oratione pro M. Celio scripsit; tribuendum esse aliquid aetati: dandam esse aliquando adolescentiae libertatem: non semper rectam illam rationem superare oportere, sed vinci quandoque a cupiditatibus, et voluptate. Sed nolo tecum contendere auctoritatibus, et exemplis excellentium virorum, ne fiam longior, quae multa possem in meam sententiam proferre. Id liberius forsan quam mea ferat auctoritas scribam, me persaepius hac de re cogitantem paulum desiderasse prudentiam ac sapientiam tuam, qui parvam aetatis filii, nullam futuri temporis visus es habuisse in tuis consilis rationem, sed tantum nonnullorum opinioni, ne dicam suspitioni, tuo damno satisfacere voluisse. Nam pro tua doctrina nosse debes plurimum posse in hominibus aegritudines animi, nosque subditos esse passionibus permultis, quibus non solum adolescentiores, sed etiam robu-

stioris ac firmioris aetatis viri haud facile obstiterunt. Arduum est enim obstare morbis animi undique circumfluentibus, et in omni aetate obtemperare rationi; principibus vero id solet esse difficillimum in magna rerum licentia ac facultate constitutis. Obsequuntur enim plurimum desideriis suis dum quod cupiunt, possunt, et quod libet licitum putant, ut divini cujusdam consilii esse videatur, adolescentem principem compescere ardentiorem aliquem appetitum, et infra honesti metas sese continere. Itaque labuntur multi in varios excessus, qui nisi longius proficiscantur, si se retrahant, non vitio, sed aetati, non consilio, sed errori videtur esse tribuendum. Etenim compertum est nonnullorum lubricam adolescentiam extitisse, qui postmodum viri clarissimi et pace et bello evaserunt. Profuit etiam quibusdam aliquando peccasse, cum ex eo emerserint acerrimi hostes vitiorum. Ut enim videmus aliquos in certamine victos, acrius reintegrare pugnam, atque animosius ad ulciscendam injuriam susceptam certare: sic nonnullos superatos quandoque a vitiis, enixius atque constantius errore prospecto niti postea ad virtutem. Discernenda sunt, inquit Seneca, deplorata ingenia ab iis, quae sanari possunt: ea, in quibus spes inest sanitatis et conjectura quaedam melioris ingenii, non conculcanda, aut deprimenda sunt, sed erigenda, ac sublevanda, quo possint emergere ad virtutem. Haec si versabis animo, et cogitatione, non absterrebis, aut repelles, sed allicies atque advoca-

bis filium, existimans, cum sit ingenio et doctrina praestans adolescens, posse illum adhuc evadere magnum virum: neque oblectabis ulterius, si qui sunt, qui hoc vestrum discidium minime moleste ferunt. Illud vero saepe, ac diligenter opinor, si tibi ac tuis recte velis prospicere, a te esse considerandum, solere parentum omnium praecipuam curam ad id maxime incumbere, ut consulant suorum posteritati, ut filiis firmas opes, longaevam quietem, diuturnam pacem, stabile imperium relinquant: quae ubi absunt, labuntur regna, nec se diutius conservant. Eam tu haereditatem, nisi pedem retuleris, an sis filiis relicturus, judicio tuo relinquo. Mihi quidem videtur te certam causam dissensionis fraternae, non dubiam materiam odii plusquam civilis; non quietis, sed turbulentissimi motus, non pacis, sed belli semina filiis praebere. Non est tibi neque vitae, neque interitus certa dies constituta, quo tibi magis insperati casus sunt pertimescendi. Continebit se abdicatus filius, dum fervebit aetas, dumque vixeris: postea cum rei militaris ardor crescente aetate resederit, insurget libido dominandi: optabit, cum dulce sit nomen principatus, restitui in eam, qua dejectus est, fortunam tanto quidem continentius, quanto magis amissi principatus poenitebit. Cupidiores enim sumus ad recuperanda amissa, quam ad ea tenenda, quae in nostra sunt potestate. Dies ac noctes torquebitur desiderio dominii paterni, dolis, fraude, insidiis, armis denique pro amissa haereditate certabit: et cum misero-

rum fortuna multos allicere soleat ad opem ferendam, aderunt qui, aut alterius benivolentia, aut odio amborum, aut spe dominandi, serant discordias, ignem succendant, flammas subministrent. Ita orta dissensione, bello excitato, contritis opibus, aut turpis alterius victoria, aut utriusque desolatio: quod saepius contingere multorum ruina docuit, subsequetur. Commutantur enim tempora, variantur hominum mentes: beneficiorum memoria defluit, amicitiae consenescunt: qui est amicus potest fieri inimicus; ut difficilis atque incerta sit futuri temporis conjectura. Multi fidem servarunt, quoad occasio fuit fallendi. Quidam, qui boni habebantur, data peccandi facultate, labuntur, ac privatam utilitatem publico officio praeponunt. Si jus violandum est, inquit Caesar, regni gratia violandum est. Non erit portenti loco, si quis in fraterno odio occasionem aucupabitur utriusque delendi. Quo magis excidendae sunt a te omnes causae futurae tempestatis, ne dum nescio quid suspitiosum vereris, certam tuis filiis pernitiem constituere videaris. Scis magnum esse solere pro regno certamen: scis quam grave sit odium fratrum, et quem finem consueverit sortiri; cui nisi obviabis, satis in lubrico versabitur filiorum status. Concordia, inquit Crispus, parvae res crescunt; discordia maximae dilabuntur. Itaque tibi, cui pax filiorum, quies patriae, posterorum salus cordi esse debet, omnes dubii eventus, omnes discidiorum formites, omnes indignationum, ac simultatum occasiones sunt

penitus evellendae: omnes intercludendi aditus, quibus ad iram, ad odium, ad arma possit perveniri. Haec maxima ac certissima a parentibus haereditas filiis relinqui solet. Quamobrem filio existimo esse omnino ignoscendum; dandam errato veniam, indulgendum aetati; non solum recipiendum, sed ultro advocandum esse atque alliciendum; quod suum est, restituendum, ut cum caetera, quae homini optanda sunt, natis tuis reliqueris, etiam pacem, concordiam, quietem, optimum inter mortales bonum illis quoque reliquisse glorieris. Habes epistolam satis verbosam, quam aequo animo legas oro. Nulla me spes, nullum praemium impulit ad scribendum, sed amor singularis, quem habeo ad honorem tuum et tuorum salutem. Nam cum sis princeps deditus studiis humanitatis et doctrinae, confisus non ingratum fore humanitati tuae quicquid ab homine tibi deditissimo proficisceretur, sumpsi laborem scribendi, quae tuae dignitati, commodis, famae conducere arbitrarer. Bononiae die XIII. Novembris (1).

(1) Anni 1437.

EPISTOLA II.

Poggius pl. sal. dicit Victorino Feltrensi V. C.

Licet nunquam antea, mi Victorine, ad te scripserim, tantumque nomine ipso non aliquo officio noti inter nos sumus, tamen pro tua singulari virtute, proque in omnes, qui studiis delectantur humanitatis, benivolentia, audebo tibi paulum oneris his primis litteris imponere, quod aequo animo te suscepturum puto. Scripsi ad illustrem principem Dominum Marchionem Mantuanum epistolam quamdam, quam confido non ingratam sibi futuram. Ejus reddendae curam tibi injungere decrevi, quo tradatur diligentius. Fac igitur, si me amas, ut epistola ad Dominum ubicumque est, deferatur per aliquem, qui nobis in ea re satisfaciat: tu modum nosti; potes eam commendare cuipiam ex his, qui sunt apud Marchionem, ne aut neglecta abjiciatur, aut reddatur tempore incommodo. Mihi quoque rescribas, oro, cum certior fueris redditam esse, ut id sciam. Si vero contigerit, te epistolam legere, tuum mihi de illa judicium significes velim: hoc erit mihi gratissimum. Nam plurimi faciam sententiam tuam. Vale et me quoniam id mutuum fiet, ama, et rescribe. Bononiae die XIII. Novembris. Anni 1437.

EPISTOLA III.

Poggius pl. sal. dicit Patri meo praestantissimo Francisco Archiepiscopo Mediolanensi.

Nullam aliam ob causam tamdiu tecum silui, pater optime, praeter eam, quam tibi aliis in litteris descripsi, quam te excusationem pro tua prudentia benigne accepisse laetor. Difficile est enim homini libero, et qui dissimulare nesciat, cum scribere coeperit, tacere de tanta rerum indignitate, quantam diutius, quam aequum erat, a plebe indignissima perpessi sumus. Naturam etiam omnium ferme eam esse videmus, ut promptior sit ac paratior ad culpandum ea, quae minus recte agi arbitramur, quam ad laudanda illa, quae videntur fieri cum virtute. Itaque ne de rebus vestris cum publicis, tum privatis, quae mihi multorum summe displicent propter earum iniquitatem (nihil enim a vobis, nisi turbulentum, seditiosum, et ad interitum rerum publicarum spectans majori ex parte proficiscitur) cogerer disputare et conqueri, satius esse duxi omnino tacere, quam ea auribus tuis refricare quae, et mihi scribenti, et tibi legenti futura essent admodum molesta. Sed ad privata, inquies, publicis omissis te decuit conferri. At ego tua ignoro: mea vero ea existunt, ut potius dediscenda essent, quam scribenda minuta quaedam, et digna oblivione. Unum fuit, in quo forsan non satisfeci no-

strae amicitiae. Debui tecum gratulari per litteras ex ea, quam assecutus es, dignitate. Id enim munus mea in te benivolentia requirere videbatur: sed considerans tum gravitatem temporum, tum morum nostrorum perversitatem, addubitare aliquando cogor gratulandum ne, an condolendum potius sit iis, qui gradus ejusmodi ascendunt. Difficile est in hac fece nostri saeculi bonum esse, cum plurima obstent impedimenta, quae Praelatum etiam recto itinere proficisci cupientem retrahant, ac perturbent. Sed tamen arcta est via quae ducit ad vitam illis tamen maxime, qui tanquam in vigilia quadam, ad aliorum incolumitatem sunt constituti, ut multis praestaret propriae saluti consuluisse, quam suscepisse caeterorum curam. Quamvis tua virtus ita est perspecta mihi, ut te sciam ex eorum esse numero, quibus vere, atque ex sententia gratulari potuissem; sed tum negotia permulta mentem ab ea cogitatione distraxerunt, tum segnities ac tarditas quaedam, quae una cum aetate videntur augeri. Sed praeteritam negligentiam recompensabimus frequentioribus litteris, quas a me expectes velim cum hac adjectione, si tu quoque rescripseris, alias torpescet non solum ingenium, sed et manus. Litterae tuae mihi fuerunt gratissimae multis de causis; sed maxime quia visus sum loqui tecum, cum eas legi. Praeterea tuam illam antiquam recognovi humanitatem, neque ita elatam, ut despiciat inferiores. Ego nonnulla edidi quae postea quam desideras, dabo operam, ut transcriban-

tur, si librarium reperero. Cupis habere Dialogum a me olim editum in avaritiam: addam etiam disputationem a me habitam cum viro doctissimo Guarino de Scipionis et Caesaris praestantia. Orationem quoque funebrem in laudem Nicolai nostri, qui diem suum obiit. Epistolas insuper nonnullas adjiciam, quas arbitror fore tibi non injucundas. Si quid est praeterea, quod a me velis, utere Poggio tuo ea, qua solitus es, libertate. Vale et me ama. Legatum quoque cum videris, nosti quem dicam, virum e nostris omnium praestantissimum, me sibi commenda. Si litterarum forma plurimum videbitur abesse a priori scribendi elegantia, nequaquam mireris: nam et calamo scribo, et oculi sunt paulo quam consueverunt, hebetiores. Bononiae die XX Novembris. Anni 1437.

EPISTOLA IV.

Poggius pl. sal. dicit Jacobo Foscaro V. C.

Nuper cum pro tua humanitate paucis licet verbis ad me scripsisses, ego quoque tuam brevitatem secutus, cum subito a me responsum postularetur, pauculos versus ad te exaravi. Et quamvis longior in scribendo esse debuissem, praesertim tam liberaliter ad amicitiam abs te provocatus, tamen per otium non licuit tunc uti pluribus; nunc vero ocium nactus, ero forsan verbosior, quam velis. Ego mi Jacobe laudo ingenium tuum, et dicendi copiam, et facilitatem

quae tum ex ipso stylo cognovi absque alterius testimonio, tum maxime ex ore multorum, quos de te rogavi diligentius, qui te virum eloquentissimum, ac peritissimum affirmarent. Non hoc adulandi gratia scribam: est enim id a me vitium penitus alienum; sed quia ita ex animo sentio. Cum tibi omnia dederit natura quae sunt hominibus maxime optanda patriam, genus, parentes, opes, egregia fortunae atque animi dona, qualia nemini fere alteri aetatis nostrae, te omnia haec admodum virtute illustraturum, si in his, quae coepisti studiis perseverabis. Verum te eo pacto litteris dare operam oportet, ut hae sint tanquam instrumenta ad capessendam virtutem, et adjumenta quaedam ad cursum vitae perfectioris qui est solus propositus studiorum fructus egregiis ac praestantibus viris. Nam qui ita in doctrinis et rerum scientia versantur, ut nihil sibi auxilii ex eis comparent ad bene vivendum, simillimi existunt aureis muscis, quae licet aliarum pulcherrimae, semper tamen in sordibus et stercore delitescunt. At ego doctrinae genus omne respuo, si nihil sit profuturum ad meliorem vitam, si vitiorum sit futurum instrumentum, si deteriores mores, inquinatiorem animum fuerit redditurum. Quorsum haec inquies? ut honori tuo, ut famae, ut nomini consulam; ne cum sis vir probatissimus atque ornatissimus alterius scelere maculeris. Monstrum omnium qui vivant flagitiosissimum Franciscus Philelphus, quamquam in numero doctorum, aut eloquentium nunquam est habitus,

tamen omnem suam curam, omne studium collocat in maledicendi arte, ut detrahat bonis et probis viris. Scripsit primum scurra nequissimus multa olim in Nicolaum nostrum virum optimum atque integerrimum: cujus rei indignitate motus, sumpto Nicolai patrocinio, compressi paulum petulantiam turpissimi nebulonis; scripsit ille adversum me plurima, quae a me contemnuntur veluti abjectissimae pecudis balatus. Nuper vero insurrexit in virum praestantissimum, atque optimum Cosmum de Medicis, ea fingens, licet insulse ut solet, quorum ipse in artificio versatus est, meque etiam interserit in hanc fabellam; haec me, ut caetera, nihil movent. Latrat enim famelicus atque exuriens canis ad ostendendam stultitiam suam: est quidem insulsus, ineptus, inconcinnus, rudis, atque aridus sine sapore, absque ulla facultate dicendi, ut praestet multo nobis hoc pacto vituperari ab homine improbissimo, quam laudari. Itaque canis illius vomitiones nulla in re me perturbant. Quid ergo me commovet? quod libellum hunc ad te mittit addita epistola, quam tibi scribit, tanquam aut sis conscius flagitiorum suorum, aut delecteris sua maledicentia: qua in re aut odium in te concitare nititur eorum, qui laeduntur: (multi enim nominantur) aut in tuo nomine quaerit suis dictis auctoritatem: quorum utrumvis senserit impurus ille lanista, a te existimo judicandum, ne videaris particeps esse earum rerum, quas solent boni viri maxime abhorrere. Ostende igitur, si tibi videtur, id honorem tuum requirere.

ea displicere innocentiae tuae. Haec ad te scripsi tua maxime causa. Nam quamvis existimem nullum tibi esse commertium cum inquinatissima bellua; tamen aegre fero haberi hoc pacto ludibrio nomen tuum, ut pro ornamento quodam apponatur ad contumeliam eorum qui tibi sunt amicissimi. Vale, et me ama. Quae a me scripta sunt, bono animo ac sincero me scripsisse putes. Bononiae die XIII Decembris (1).

EPISTOLA V.

Poggius Jacobo Foscaro pl. sal. dicit.

Et superiorem epistolam una cum Filelfea ineptitudine nuper a te accepi, et hanc quam pridem Ulixes ad me detulit. Legi non Satyram, quid enim majus redolet, sed vesanae mentis judicem fabellam. Scribit, ut libet. Malo me hoc pacto vituperari a spurcido atque abjecto cadavere, quam laudari. Ita ineptus est, inconditus, aridus, inconcinnus, nulla cum doctrina, nulla cum eloquentia. Adde, quod flagitiosissimus est omnium, qui vivant, atque omni scelere inquinatissimus, ut sua laus in summum dedecus convertatur. Quae enim commendatio esse potest ab homine perditissimo, cujus flagitia infamem illum apud omnes civitates Italiae reddiderunt? Una est inventa Senensis civitas, quae studio partium illum

(1) Anni 1437.

sustentet. Verum tanta est hominis impudentia, ut etiam apud eos, qui ipsum in aliorum contemptum fovent, odium jam ex vitae improbitate existat. Sed portentum omnium profligatissimum omittamus. Te non pluris eum facere, quam sua vitia postulent, laudo. Quod vero petis posterioribus litteris ut nescio quid a me editum ad te mittam, nihil id est praeter epistolam quamdam ad Dominum Mantuanum, quam a pluribus laudari sentio: ejus copiam faciam Ulixi, cum redierit, ut ad te deferatur. Ego mihi existimo contractam tecum amicitiam non vulgarem. Amor quidem in te meus est singularis, cui video te pro tua humanitate admodum respondere. Fac ergo, ut existimes nihil esse tibi Poggio amicitius: idque tibi ut persuadeas velim. Vale, et me ama. Ferrariae die X Februarii (1).

EPISTOLA VI.

Poggius pl. sal. dicit illustri Principi Domino Joanni Francisco Marchioni Mantuae.

Cum existimarem, illustris princeps, studia litterarum, quibus te deditum ferunt, tibi summam humanitatem, singularem benignitatem attulisse, atque abjecisse fastum omnem, atque insolentiam, quae rudibus atque indoctis inesse solet: scripsi ad te dudum epistolam quamdam, prout arbitra-

(1) Anni 1438.

bar, honori, dignitati, utilitatique tuae maxime convenire, in qua potius delectari te, quam aliqua in re offendi existimavi. Stultus enim nimis fuissem, cum ab omnibus etiam infimis diligi quaeram, id agere, ex quo tanti viri erga me malivolentiam provocarem. Eam misi ad virum doctissimum Victorinum Feltrensem, ut tibi reddendam curarit. At is mihi nunc post duos, et amplius tandem menses rescripsit, te illam, ut verbis suis utar, accipere noluisse, et simul epistolam remisit. Fateor me paulo tum fuisse commotum Victorini negligentia, qui tamdiu cunctatus est litteras reddere. Me quidem ad scribendum nulla res alia impulit, praeter commodum, utilitatem, et tuam tuorumque quietem. Laetabar enim nomen Italicum illustrari unius principis fama, cujus etiam virtutem et doctrinam filii imitari dicerentur. Quod si me fefellit, aut si quod in rem tuam esset non satis perspexi, ignorantia atque imprudentia culpanda est, non officium contemnendum. Sed cum tu ipse negotiorum tuorum sis optimus judex, non te deterreo a tua opinione, neque cogo quominus prosequaris institutum tuum. Mihi cara est tua dignitas, carus honor, carus status, cui fortunam prosperam favere opto. Verum cum ea tibi ipsi multo quam mihi cariora esse debeant; tibi tuarum rerum curam, atque onus relinquo. Fuisset tamen tuae humanitatis, si non omnem eam abjecisti, legere primo epistolam, et postmodum vel abjiciere illam ut inanem, vel quae dicuntur contemnere, tanquam minime tuis rebus accomodata.

Nam plures scimus majoris, et auctoritatis, et doctrinae viros, etiam contra se acriter dicta aequo animo legisse, ne dum quae in suum usum scribi viderentur. Sed forsan Victorini culpa extitit, qui simulavit rejectam, cum timuerit reddere. Quicquid autem sit, remitto ad te denuo epistolam, quam si legere dignaberis, satisfacies humanitati tuae, et meae de te conceptae opinioni: sin autem minus mea conscientia contentus aliis legendam tradam, quorum judicium non contemno. Ea est enim epistola, quae secum ferat laudem suam, quaeque suis viribus non unius commendatione nitatur. Neque vero quod ab homine haud magnae conditionis proficiscatur, spernas velim. Nam quamvis sis prudentissimus; quamvis potentiorum judicia imbecilliorum conciliis praeferantur; tamen sub sordido pallio, ut inquit Lucilius, quandoque sapientiam latere. Vale. Ferrariae etc. (1).

EPISTOLA VII.

Poggius pl. sal. dicit Victorino Feltrensi V. C.

Parum humaniter, ne dicam prudenter, fecisti mi Victorine, qui tantam moram adhibuisti ad tradendas litteras meas. Quid enim duorum et amplius mensium tarditate opus fuit, cum primo, quo rediit, die potuerint reddi? Potuit haec epistola

(1) Deest omnino temporis nota, sed appellat praesens epistola ad annum 1438 absque dubio, nam Poggius Ferrariam venit die vigesima septima januarj hujus anni, cum sequeretur Pontificem Eugenium IV, qui causa aperiendi Concilii illuc adevat.

una cum aliis, quas quotidie legit, inculcari. Expectasti credo, ut ab alio potiusquam a me ipso sciret, quae a me scribebantur. Quamvis ea a me dicantur, quae cupiam in publicum efferri: sunt enim non imprudenter, neque omnino ineleganter scripta: tamen cupiebam, ut ego potius mearum rerum nuntius essem, quam quivis alter. Itaque sive epistolam resignasti, quo scires quae dicebantur, parum amice abs te factum puto: sive tantum tempus expectando contrivisti, negligentia est admodum culpanda. Si verebaris porrigere, cur non remisisti? Si confidebas illum accepturum epistolam, cur tanto tempore distulisti? Occupationes forsan principis afferes, atque opportunitatem te illius tradendae dices expectasse. At istud tempus in Caesare quidem, Alexandro, Octaviano, quorum animi paulo erant occupatiores, et majoribus in rebus, longum nimis extitisset. Si indignationem principis verebaris, jam non is est quem existimabam. Neque enim laudandus est princeps qui nolit verum audire, neque apud quem non pateat amicis aditus, ac libertas ad loquendum. Credebam litterarum studia sibi adeo profuisse, ut priscorum, quorum virtutes legerat, vellet vestigia imitari. Cum in dictatorem Syllam malus poeta epigramma fecisset, tanta fuit modestia, ut et praemium tribui jusserit, ea tamen conditione, ne quid amplius in se scriberet. Non epigrammati incondito mercedem vir prudentissimus tribuit, sed respexit animum poetae, qui quod poterat, obtulit ad laudem suam. Octaviano

in curiam introeunti cum sedulus quidam poeta versus saepius in suam laudem referret, et ipse quoque semel conspecto poeta primus ex tempore versus in eum protulit, non contemnens hominis in se dicta, sed eodem munere respondens. At hic tuus paulum, pace sua dixerim, Sylla Octavianoque inferior contemnit ac rejecit quae pro se dicantur, non quidem a poeta, sed ab eo qui non penitus abhorret a studiis humanitatis. Si gaudet hic princeps ut costans, ut perseverans, ut pertinax in sententia esse videatur, utatur sane moribus suis, suo judicio acquiescat, suo consilio innitatur: neque enim lecta epistola vim ullam afferebat, neque cogebat ad propositum immutandum. Scio hoc illum idem egisse in quorumdam litteris, qui paulum suam prudentiam requirunt. Blandiatur quantum libet sapientiae suae: aliis etiam hoc persuadeat oportet non tantum sibi, neque quibusvis; sed doctis, et probatis viris, quorum si judicium contemnit, et ipse a pluribus contemnetur. Scripsit Sylla, scripsit Lucullus, pluresque praeterea doctissimi, praeclarissimique imperatores res ab se gestas: attamen caeterorum magis quam suis scriptis et laudibus clari ac celebres apud posteros evaserunt. Nos dignos esse oportet, qui laudibus celebremur. Verum ab aliis laudes nostrae praedicentur necesse est, et ab iis, quorum laudationibus adhibeatur fides. Sed ipse de se viderit: ego neminem pluris faciam, quam mea ferat opinio, neque homines ex dignitate, aut potentia rerum, sed ex virtute, et sapientia

judicabo. Hoc tibi persuadeas velim, si hic tuus princeps ea est prudentia, quam sibi persuasit, et caeteros quoque imprudentes non existimabit, humanitatem certe majorem ostendisset in recipiendis his litteris, quae sibi nihil poterant obesse. Ego me neque doctum profiteor, neque prudentem: tamen multa legi, multa audivi, plura ipse vidi, ex quibus saltem conjectura assequor me non scripsisse aliena ab illius dignitate. Certe secutus sum officium boni viri. Haec si ab eo non recipientur, tradentur aliis qui ea cupide ac studiose legunt, et cum epistolam rejectam audiunt, remittunt nonnihil de opinione sua. Mihi parta est, quam cupio, laus ex illius epistolae scriptione; quippe quae, ut alios omittam, testimonio est etiam Pontificis comprobata. Sed iterum remitto epistolam una cum novis litteris quas ad eum scripsi, si interim forsitan sententiam mutasset, quam si iterum aspernabitur, feram non moleste illum in sua opinione perseverantem. Hoc ad te scripsisse volo, neque propterea suam laudem in aliquo auctam esse, neque meam ulla ex parte imminutam. Vale et me ama. Ferrariae die XIV Februarii.

EPISTOLA VIII.

Poggius pl. sal. dicit Carolo Brognolo V. C.

Delectatus sum admodum tuis litteris, mi Carole, quas pridie mihi reddidit Carolus Novulonus

vir doctus ac perhumanus: sunt quidem elegantes, plenae amoris, atque humanitatis. Etsi enim plures litteras videram ad patruum tuum a te scriptas, in quibus facundiam tuam in scribendo perspexi; tamen his magis mihi cognita est eloquentia tua, ita ornate, et copiose sunt scriptae. Quod libellum meum contra avaritiam laudas, credo propter tuam in me benivolentiam tibi ita videri. Sed satis est mihi etsi non commendari, at saltem non contemni inter nostros. Sunt enim hoc tempore multi scriptores, qui tum interpretis officio funguntur Graeca ad nos traducentes, tum ipsi sua quaedam litteris mandant memoriae posterorum: hos inter si quem locum teneo viderint qui ea dijudicare consueverunt. Equidem sentio, quam sim aridus atque infans ad scribendum, cum tracto copiolas et facultates meas. Libellus vero cave perdatur: nam nulla est apud me illius copia. Remittes autem, cum primum facultas erit petendi a domino, apud quem sunt tempora osservanda. Placere tibi res meas, itemque domino Marchioni, est mihi maximae voluptati. Tua in me benivolentia, et animus erga me propensus, est mihi gratissimus. Et cum amor mutuus esse soleat, nam vetus est, si vis amari, ama, scito me complecti libenti animo tuas oblactiones, teque in numerum meorum adscripsisse, ut nihil sit, quod non a me, et expectare, et petere debeas. Nam quantum vires meae ferant, respondebo tibi in officio amoris. Optimum virum Franciscum patruum tuum abesse

credo, nam ipsum his diebus in Curia minime conspexi. Vale meque tuum esse tibi persuade. Ferrariae die XXIV Februarii (1).

EPISTOLA IX.

Poggius pl. sal. dicit Leonardo Arretino V. C.

Oblata est mihi nuper mi Leonarde insulsi ac ridiculi hominis, tibi vero notissimi C. A. epistola quaedam scripta ad te Aureolo Minio, quam stultus ille ac mentis inops Caesaream appellat. Eam cum legissem nescio risu ne, an stomacho majore commotus sim videns et vesaniam hominis, verbosam loquacitatem, et impudentiam scribendi. Risi quidem primo non mediocriter hominem levem, insulsum atque inconstantem tam verbosam congeriem adeo inepte conglutinasse, ut quid dicatur, neque qui scripsit, sciat, neque qui legant, nisi divinare velint, queant intelligere: Graeca plurima latinis mixta; verba inepta: latinitas mala: constructio inconcinna: sensus nullus; ut vere responsa Phoebi suboscura, aut dicta Sphingis esse videantur, quae praeter Sybillam intelligat nemo. Indignatus sum vero paulum, quod stultus ille, quem nunquam ne verbo quidem offendi, petulanter ac proterve in me impetum faciat scripsisse me insane, et temerarie, dicens quod Scipionem, in quadam disputatione inter me et Guarinum

(1) Anni 1438.

nuper habita, praetulerim Caesari. Rationem vero nullam affert suae sententiae, neque Caesarem ipsum laudat, sed solummodo putat, summum esse sacrilegium contra Caesarem loqui: idque pro ratione ducit, quod secum sentire ait quosdam homines inauditos, obscuros, qui vivant ne, an mortui sint, Apollo esset Delphicus consulendus. Sed tamen cum totam fabellam odiosam, atque ineptam uno spiritu decurrissem, deposito stomacho animum meum ad risum converti considerans, quot monstra hominum sint, et quanta stultitia versetur in terris, ut jam alter Hercules esset ab inferis excitandus ad perdomanda haec prodigia, quae non verbis reprimenda sunt, sed clava et fustibus castiganda. Sciebam C. hominem esse loquacem, stolidum, verbosum, et tanquam molestam cicadam auribus hominum perstrepentem: sciebam enim indoctum, dicacem, et veluti scurram quemdam infestum, vagum, atque instabilem tanquam Scitham, nullam habentem, neque animi, neque corporis quietem: qui in latino sermone saepissime ut puerulus labitur, nulla in re doctus, praeterquam inani verborum jactantia, et sono. Sed tamen non credebam adeo progressuram dementiam suam, ut etiam in me vellet incursare. Est profecto maximus omnium morbus stultitia, qua qui laborat, parum distat a belluis. Quis unquam opinatus esset, hunc barbatum Satyrum bellum mihi sine causa indicturum pro Caesaris mortui causa, qui ne se vivum quidem tueri potest famelicus, mendicus, et aere alieno vivens?

Atqui hunc si Caesar viveret, pro ejus stultitia veluti abjectum servum ad bestias deputaret. Vir doctissimus Guarinus noster cum contra me causam Caesaris suscepit, aliquando verborum moderatione usus est. At vero hic musca importunior, molestior culice, indoctus, insulsus loquax, insanum me, dementem, temerarium existimat, quod videar sentire contra institutorem, ut ait, monarchiae, quam necessariam putat ad regimen gentium laudans imperatores, et rempublicam Romanorum vituperans. Quid huic asino respondeas bipedali, tardo, ac incomposito, nato ad servitutem, qui esset non verbis sed baculis coercendus? At hic me quondam amicum sibi fuisse dicit, ac si maxima a me sit injuria affectus, quod contra Caesarem scripserim pro laude Scipionis. Sed, Dii boni, quam ridicule suam hanc contexuit loquacitatem! Fingit somniasse se redeuntem e Graecia, ex qua levitatem, et insaniam asportavit, atque in somniis adstitisse sibi musas nescio quas, ac contra me pro Caesare locutas. Deinde missum ad se ab Jove Mercurium, qui Caesarem tueretur, et fuisse illum eloquentem, prudentem, humanum, et multa praeterea doceret. De iis, quae a me scripta erant verbum nullum; tota confictio ridicula, et somniis C. digna; qui si ea nocte paulum quid plus bibisset ipse in Coelum ad Jovem ipsum advolasset, non Mercurium stultitiae suae finxisset nuntium. Sed erravit aspectu paulum homo vesanus gravi oppressus somno: quas enim musas putavit, corniculae, et

ranae extiterunt, quarum alterae constantem illius loquacitatem, alterae mentis vertiginem repraesentabant. Nam quid stulto illi commune cum musis, qui nihil nisi garrire novit imperitissimus omnium, qui vivant? Orphoeum se, aut Museum aestimavit, ad quem musarum chorus tanquam ad vatem suum proficiscerentur. Jovem praeterea nimis ociosum, cui magnae curae essent sanabilis hominis somnia. Recte tamen per somnium musas secum locutas simulat. Si enim ad hominem vigilantem verba fecissent, aliquid forsan ab eis discere potuisset. Nunc cum nihil litterarum sciat, cum sit omnium, quos norim, stultissimus, quicquid novit, cum parum id existat, rectissime somnium esse testatur: et ne homines fraudet homo liberalis, ipse etiam hoc litteris mandavit. Nunquam quicquam verius aut scribere, aut loqui potuit C. quam se somniare, cum scribit, aut loquitur: quae cum vere somnia sint levia et C. digna, indignissima sunt, quibus respondeatur. Haec vero post risum ad retundendam illius petulantiam ad te scripsi, ut tu quoque rideas, si epistolam, quam circumferre ad ostentationem coepit, ad te destinavit. Vale. Ferrariae pridie kalendas Aprilis (1).

(1) Anni 1438.

EPISTOLA X.

*Poggius pl. sal. dicit illustri **Principi Joanni Francisco Marchioni Mantuano.***

Si te non conveni cum Ferrariam nuper accessisti, sicut tua amplitudo requirebat, praeclarissime princeps, non arrogantiae, aut fastui tribuas velim, sed pudori meo, qui addubitabam, ne propter eam epistolam, quam ad te dederam, animus tuus paulo esset alienior. Etsi enim de tua facilitate, sermonis urbanitate, studiis doctrinae, quae homines ad placabilitatem solent traducere, mihi plurima referrentur, neque quicquam esset a me scriptum, nisi summo cum honore tuo et dignitate: tamen cum variae sint hominum mentes, tum multiplex natura, animi vero recessus occulti et abditi esse soleant, veritus ne tu forsan a me scripta secus, atque ego senseram, accepisses; nolebam committere, ut ultro viderer tibi esse molestus. Est mea consuetudo, ubi me sola species officii movit, non spes aliqua lucri, aut commodi consequendi, ut sim et loquendo, et scribendo liberior, quam forsan multorum ferant mores. At ego potius quid virum bonum deceat. quam quid caeteri audire cupiant, mihi animadvertendum duco. Qua in re licet aliqui persaepe offendant, plus tamen apud me, cum ea sim in aetate, cui mutatio morum est perdifficilis, vera loquendi recta ratio valebit quam officium adulandi.

Scio tuam praestantissimam in omni virtutum genere sapientiam te ab illorum numero vindicare, quorum aures moleste ferunt dicendi libertatem, et ad injuriam adscribunt, quicquid proferatur praeter ipsorum opinionem et voluntatem. Sed cum plures magis considerent, quid possint principes, quam quid deceat facere, eorum vero simultas sit plena periculis, dubitanti animo tutior visa est sententia capessenda. Nam sicut sapienter praecipit magister morum Seneca, nihil a nobis esse agendum, quod rectum ne sit dubitemus. Ipsa enim dubitatio suspicionem injustitiae secum affert: ita in mancipiti quoque sententia id consilium capiendum videtur, quod procul absit a suspicione dubitandi. Ea vero conditione institutus sum, ut non soleam me offerre nisi iis, quorum erga me voluntas, et benivolentia perspecta est mihi, quos ipsos, hoc est eorum probitatem, virtutem, doctrinam, non opes, aut potentiam sequor. At vero posteaquam a nobis recessisti, dictum est mihi cum aliquando coram te sermo inter loquendum de me incidisset, te id audisse sine molestia, et absque ulla indignatione me etiam certa in re collaudasse. Hoc cum audivi magna affectus sum consolatione; cognoscens te praeditum esse ea benignitate, atque humanitate, quam et virtus tua postulat, et litterarum studia requirunt. Id quod maximum tibi et praecipuum splendorem laudis affert. Nullum quidem esse scias in quo benignitatis atque humanitatis officia magis, quam in principe eluceant, et desiderentur ab omnibus. Fretus igitur

tuorum morum facilitate, quod tunc non egi praesens verbis, id nunc absens litteris facere institui, ut scilicet te visitem, et quod in primo congressu fieri solet, me tuum esse profitear, tuaeque deditum virtuti. Et quidem hominem observantem tui habebis, ac mandatis omni cum diligentia obsequentem. Non sum is, qui haec scribam, aut respiciens magnitudinem tuam, aut copias, quarum minime egeo: sed amo mea sponte virtutem tuam, prudentiam, affabilitatem, in doctos viros affectionem, curam, et solicitudinem in discendo. Id autem prae caeteris plurimum in te laudo, atque extollo, quod es allaturus latinis litteris magnum decus, atque ornamentum. Cum enim, ut Isocrates inquit, Regis mores imitari civitas soleat, conspicio multos, tuo exemplo, atque auxilio excitari ad scientiam, et doctrinam, recteque vivendi instituta, qui studiorum nostrorum fructus praecipuus esse debet. Haec me hortantur, admonent, impellunt, ut te colam, atque observem, ut me tibi praesto futurum esse pollicear, haec mihi spem afferunt, fore ut antequam triennium labatur, in me propensiori sis benivolentia futurus. Vale et felix. Ferrariae die II. Aprilis (1).

(1) Anni 1438.

EPISTOLA XI.

Poggius pl. sal. dicit Riccardo Secretario Cardinal's Vintoniensis.

Mi dulcissime frater, recepi a te eodem tempore binas litteras; quae fuerunt mihi gratissimae. Rediit enim in memoriam, quamvis ea nunquam excidit, sed tamen tuis litteris recentior facta est antiqua nostra consuetudo, et suavitas victus nostri, cum una confabulantes curas communes transigebamus. Relegi tuas epistolas summa cum voluptate tanquam tecum loquens. De uxore, quae alias scripsi, scito esse verissima. Contentus sum enim sorte mea, et uxor ultra, quam dici potest, est mihi in diem gratior, atque acceptior; cum nihil sit omnino, quod ei ad muliebrem desit virtutem. Itaque cum jam biennium lapsum sit ex quo illam duxi, non solum non poenitet facti, sed quotidie magis laetor, neque id injuria. Bonum enim quo diuturnius est eo magis delectat. Atqui hoc omnium inter mortales maximum est bonum iis, quibus Deus favit in uxore deligenda. quod cum Dei benignitas mihi elargita sit, felicem me quodammodo appello, cui id contigit, quod paucis accidisse videmus. Non mentior, mi Ricarde, scis me non omnino rudem, neque ignarum in moribus mulierum, ut existimes me facillime falli posse. Adolescentulam habeo formosam, pudicam, prudentem, et artificio muliebri Pallade doctiorem.

meque vero ita obsequentem, ut plus mihi tribui intelligam aliquando, quam deceat; nulli vanitati dedita est: domi est libentius, quam foris: dies festos negligit, et cultum muliebrem, ut mores diceres seniles in aetate juvenili: loquitur autem ita ut decet educatam nobilibus parentibus Poggii institutione. Vellem, ut tu ipse adesses, ut fieres aliqua ex re particeps meae consolationis. Quod vero accumulat laetitiam meam, jam gravida est, ut sperem me infra sex menses patrem futurum: neque est necesse, ut me moneas, ut temperamento utar ad velificationem. Scis me non esse novitium in talibus rebus: jamdudum multo in ea re exercitio factus sum veluti unus ex iis equis, qui apud vos Gopennigo vocantur, assueti itinerationi, et variis hospitibus: hoc tibi dico me juniorem multo quam eram antea effectum, ut omnes testantur, et ipse sentio. Bursas, quas misisti, uxor habuit ambas, quae sunt pulcherrimae, et sibi admodum placeat: pro his, et nomine suo et meo tibi gratias ago, recte quidem et amice fecisti. Bildescon noster mecum silet, timet enim, ne respondendo cogatur aliquid mittere: at ego eum libero ista cura; sequitur aliorum mores, qui quo fiunt ditiores, eo avariores evadunt. Congregat et ignorat cui, certe non sibi. Recommenda me charitati suae, dicasque me ditiorem eo, et magistro nostro communi: multa paupertati desunt, avaritiae omnia, ut est vetus proverbium. Ego me non pauperem profiteor, sed omnium, qui vivant, ditissimum. Si quidem

acquiesco rebus meis omni vacuus cupiditate: nulla me solicitudo, nulla anxietas lucri tenet. Jam eo in statu sum, ut etiamsi quaestus spes desit, mihi et meis satis sit ad id, quod superest vitae. Lego semper, aut scribo aliquid, quod ad laudem, et virtutem spectet, minus tamen, quam solitus eram, cum aliquid temporis uxori sit impertiendum, et rei domesticae. Dominus noster commune sequetur proverbium Liberii Mimi, qui ait. Avarus nisi cum moritur, nil recte facit: condet pulchrum testamentum, et eorum curam habebit, quae nil ad se spectabunt: nihil ab eo postulo, sum enim illo ditior, atque opulentior siquidem mea fortuna contentus vivo: ille suam ferre non potest. De licentia visitandi per procuratorem pro magistro Waltero, jam sum locutus cum summo Pontifice: difficilis est in ejusmodi gratiis; tamen spero me ex parte obtinere, quod cupis: quicquid egero, te faciam certiorem. Te vero, mi Ricarde, per amicitiam nostram rogo, ut efficias, ut una cum annis augeatur et virtus, ne omnium rerum majorem curam, quam animi habuisse videaris. Caetera relinquenda sunt omnia, virtus sola etiam post mortem nos comitatur. Turpe est, cum vestes mundas, supellectilem praeclaram procures, animum sordidum habere atque immundum, et te esse rebus tuis deteriorem. Inprimis avaritiam fuge, malorum omnium originem atque fundamentum: nolo ut omnino socias abjicias, sed ut sis temperatior, ut jam non voluptati, sed necessitati servias: ut studia earum

rerum omittas, quae displicent bonis viris: ut cogites, tibi moriendum esse, et omnia haec, quibus vacas, dimittenda: hypocrisim autem fugias omnino: sed non minus liberiorem quamdam licentiam peccandi, qua multi utuntur, ut procul ab omni simulatione esse videantur. Temperamento opus est omnibus in rebus, quod Ecathon philosophus dixit esse difficillimum: sed et circa difficilia habetur virtus. Haec pro mea in te benivolentia ad te scripsi, non monendi, sed cohortandi gratia. Vale mi dulcissime Ricarde, et mei memor. Saluto te uxoris verbis, cui rem pergratam de bursis fecisti. Recommenda me primum Domino meo Domino Cardinali, tum vero Bildestoni nostro, quem audio effectum esse pinguem corpore, et conscientia. Saluta socios antiquos, Thomam Guidonem, et alios, quorum jam nomina effluxerunt, sed non memoria. Haec scripsi manu festina. Bursam, quam in manibus esse scribis, uxor avide expectat: sumus enim semper ad ignota cupidiores. Ferrariae XXVIII Aprilis (1).

EPISTOLA XII.

Poggius pl. sal. dicit Joanni Spelimbergensi V. C.

Confisus dudum non eloquentia, quae nulla in me est, sed tua humanitate atque in me benivolentia, misi ad te disputationem habitam

(1) Anno 1438.

nuper a me cum Guarino nostro super Scipionis, Caesarisque praestantia, quam tibi placuisse, summae est mihi voluptati. Sed vide ne tuus amor fallat judicium, quod fers de rebus meis. Vereor ne tua affectio erga me, amplius sentire te cogat, quam veritas patiatur. Gaudeo tamen, si qua in re satisfecerim tibi, neque est opus, ut te excuses tarditatis in rescribendo. Semper fit cito, quod fit bene: neque vero ejusmodi res erat ut festinationem postularet. Epistola tua hodie mihi fuit reddita, et is, qui attulit, se postridie recessurum affirmavit. Rogavi tamen ut rediret nam si quid esset ocii, me promisi tuis litteris responsurum. Sumpto itaque calamo manu festina haec ad te exaravi, ne rediret vacuus: alias ad te scribam pluribus. Si amplius temporis fuisset fecissem transcribi aliquas epistolas, quas spero tibi non injucundas fore: sed si quis denuo ad nos veniat, fac ut mecum loquatur: parabo interim aliqua, quae ad te deferantur. Vale Ferrariae die II. Maii 1).

EPISTOLA XIII.

Poggius pl. sal. dicit Carolo suo Brognolo.

Ex litteris tuis percepi te febri impeditum, quominus mihi responderis, ac tradideris litteras meas Domino Mantuano. Accipio excusationem

1) Anni 1438.

tuam, et te ex valitudine convaluisse gaudeo. Scribis ad me te cum Marchione locutum, inter caetera exposuisse, quanto cum dolore affectus essem, ut verbis tuis utar, ex illius epistolae scriptione, quae adeo molesta sibi fuisset, et nonnulla alia in eamdem ferme sententiam. Laudo mi Carole, affectionem erga me tuam, et quae abs te dicta sunt, summa cum benivolentia te dixisse puto. Neque ego aliter locutus essem, si fuissem loco tui. Tutissimum enim vobis qui ex alterius nutu pendetis, loqui ad Principis voluntatem, et quae ille libenter audiat proferre, apud quem laudatur a multis, et simulare et dissimulare sententiam. Mihi vero alia est vitae institutio, et longe diversa animi sententia. Si dominum tuum allocutus fuissem, aut unquam alloquar, neque me errasse dicam, neque epistolae poenitere. Ego boni viri officio functus sum, ille si id aegre tulit, sua culpa non mea est. Nullo quidem dolore affici debeo rectum consilium praebuisse, quod si molestum habuit, nulla est consulentis culpa, praesertim cum ad virum prudentissimum se scripsisse existimarit. Itaque nequaquam hujusmodi verbis utaris amplius meo nomine. numquid virum rectum bene egisse poenitendum est? Equidem tantum abest, ut ullo dolore afficiar, ut id me egisse gloriar, quod praeter unum solum ab omnibus comprobatur, mihique adscribam ad laudem prope singularem. Ego jam in portu sum, ut nullius copiis, atque opibus magnificari velim. Virtuti jam mihi et bonis moribus serviendum est non adulationi, aut alterius servi-

tuti. Cupio me tamen diligi a tali Principe, et ut id meo merito invitatus faciat, operam dabo. Ero tamen posthac cautior, ut potius taceam, quam scribam, quae non videar sentire. Vale mi Carole, et de epistola rescribe. Ferrariae manu festina die V Maii (1). Saluta meis verbis Victorinum Feltrensem praeclarissimum virum.

EPISTOLA XIV.

Poggius pl. sal. dicit Viro insigni Andreolo Justiniano.

Non respondi antea litteris tuis, neque tibi gratias egi pro muneribus, quae ad me misisti, propterea quod Franciscus Pistoriensis, qui ea detulit, adeo suis mendacibus, quae plurima sunt verbis, mihi stomachum commovit, ut non possem quieto esse animo ad respondendum, praesertim cum de eo mihi scribendum esset, qui longe abest a boni viri moribus, qualem eum esse existimabam. Itaque compressi calamum, quoad refrigesceret indignatio, quam erga eum concepi. Sed ne nunc quidem continere manum potui, quin paullum querar levitatem hominis, ut verbis levioribus utar, ac vanitatem. Nam cum is olim in primo suo ad Graeciam accessu multa mihi scripsisset, maria, ut ajunt, et montes pollicitus, cum signa plura ad me se delaturum promisisset tua

(1) Anni 1438.

suaque pariter opera adinventa: non solum postea non attulit a te, quae totiens suis litteris praedicarat, quaeque tu ei tradideras mihi referenda: sed cum Suffretus quidam Rhodius ei consignasset tria capita marmorea, et signum integrum duorum fere cubitorum, quae Franciscus se ad me allaturum promisit: capita quaedam dedit, signo autem me fraudavit, asserens id sibi infirmo corpore e navi esse sublatum, in quo ut conjicio, manifeste mentitus fuit. Non enim marmoris sculpti Cathalani cupidi sunt, sed auri et servorum, quibus ad remigium utantur. Capita vero illa, quae mihi tradi volebas, non Cathalani vi, aut ferro subripuerunt, sed Florentiam sunt comportata, quae ille, quibus voluit donavit. Quae cum ego moleste ferrem, tamen promissionibus suis credens, cum in Graeciam rediturus esset, cupiebam enim praesentem injuriam futuro beneficio compensari: nihil de ea re ad te scripsi. Adde quod cum ille secum detulisset quaedam capita impressa in cera aptissima ad obsignandas litteras, idque se tuo mandato fecisse testaretur, ut aliquod elicerem, quod ad me destinare cupiebas, non modo signum non attulit, cum illum multis ad id verbis hortatus essem, sed alia insuper promissione elusit. Primae litterae, quas ad me scripsisti, capite quodam satis venusto erant obsignatae, quod ille nomine tuo mihi promisit; cum ille nunc in adventu suo novissimae enim litterae alio capite signatae erant, nihil secum tulisset, dixit item te secundum signum mihi, si id cuperem,

traditurum, quod idem etiam alteri promisit. Capita vero, quae ad me per eum misisti, curavit, ut Cosmo traderentur, mihi simulans se aegre ferre, quod in manus alterius devenissent. Cosmo vero, qui hic est, dixit, se illi gratias agere, quod illa accipere dignatus esset: et simul illi quoque signum, quo epistolam obsignasti, quod est Trajani caput, se daturum operam, dixit, ut sibi traderetur. Itaque vides, quanta hominis hujus sit fallacia, quanta verbositas, quanta mendaciorum officina. Scio ego, neque hoc exprobandi causa dico, quantum mihi Franciscus debeat: scio quae mea fuerunt in illum officia, taceo benivolentiam, charitatem amorem, quo illum ut virum bonum complectebar, ut paulum ista absterrere hominem debuissent ne me totiens fallendo deciperet. At ille non solum prioris errati non poenituit, sed illud majore fraude cumulavit. Reddidit tamen numisma aureum, cultellos, et item munuscula, quae praeclarissima foemina uxor tua ad meam uxorem destinavit, quae fuerunt ambobus gratissima. Pro his ago tibi litteris gratias, quoniam quidem re ipsa non possum. Dona tua Pontifici me intermedio sunt reddita, quae ille grato animo coepit. Dispensationem pro filia tua nubenda ego solus procuravi, fecique ut satisfacerem aliqua ex parte meritis in me tuis. Pro ea vero nihil expensum est. Reliquorum vero, quae quaerebas, curam Francisco reliqui, ut ea procuret apud eos, quos pluris, quam me fecit. Sed nisi cito deficiam, reddam ei beneficium cumulatum. Haec quae scripsi, esse Evangelium

puta: nulla in re mentior; scripta sunt ex ipsius ore veritatis. Si qua deinceps a me velis, aut si quid amplius ad me mittere volueris, nulla in re utaris opera, aut intercessione Francisci. Qui enim praesentem decipere non est veritus, multo audacius fraudare absentem non formidabit. Sum tecum de eo pro suis operibus parcissime locutus. Haec ad te scripsi manu festina. Saluta lectissimam mulierem uxorem tuam, et simul filiam meis et uxoris meae verbis. Ego, mi Andreole, tuus sum. Vellem tecum aliquid rerum mearum participare, sed cui tradam nescio: scribas mihi ad quem Januae ea mittere possim, qui illa curet ad te deferenda. Vale, et me ama. Ego vellem aliquod signum aptum ad signandum litteras, si quod habes superfluum usui tuo, quod quidem egregium sit: rogo per amicitiam nostram, ut illud mihi elargiri digneris. Aliqua in re alia munus cognoscam. Ferrariae die XV. mensis Maii (1).

EPISTOLA XV.

Poggius pl. sal. dicit Jacobo Foscaro V. C.

Ciriacus noster Anconitanus Venetias venturus rogavit, ut ad te aliquid scriberem: nullo enim modo sine meis litteris profecturum se dixit. Ego quamvis nihil sit, quod ad praesens scribendum

(1) Anni 1438.

videatur, tamen ut satisfaciam, tum Ciriaco, tum meae in te benivolentiae, id ipsum nihil esse quod occurreret, scribendum duxi. Silui, mi Jacobe, tecum diutius, quam ferat mea consuetudo: id accidit non oblivione tui, sed tum occupationibus, tum incuria quadam, et taedio scribendi. Sunt enim senes, qualem jam me esse profiteor, in rebus agendis tardiusculi. Gravis insupér casus, quo te fortuna pertulit, fratris scilicet amantissimi obitus, me continuit a scribendo, ne vel consolando recrudesceret obductum jam tempore vulnus, aut nihil de ea re loquendo, cum esset gravissima, parum amoris ostenderem erga virum amantissimum mei. Sed haec diligentia resarciri possunt, quamvis incipiam esse negligentissimus. Ego tuus sum: Si quid est, quod me velis, scribe: efficiam profecto ut cognoscas Poggium tibi deditissimum. Commendo tibi Ciriacum; doctus est, et bonorum studiosus. Vale, et me ama. Ferrariae XX. Julii (1).

(1) Anni 1438.

POGGII

EPISTOLÆ.

LIBER OCTAVUS

EPISTOLA I.

Poggius pl. sal. dicit Illustrissimo Principi Domino Philippo Mariae Angelo Duci Mediolani (1).

Nisi vererer adulatoris nomen, a quo semper abhorrui praeclarissime, ac praestantissime princeps, laudarem pluribus verbis egregiam profecto, qua mecum uteris in scribendo humanitatem. Quid enim humanius, quid benignius fieri, aut excogitari potuit, quam tantum, ac talem principem saeculi nostri praecipuum lumen, ac decus, in quo prisca illa virtus ac probitas Italorum relucet, ultro scribere ad virum pusillum, ignotum sibi,

(1) Epistola Mediolanensis Ducis, cui respondet Poggius, legitur in Appendice ejus vitae, pag. 68 Docum. N.° IX, Florentiae editae typis Riccianis anno 1825.

nullis praesertim litteris provocatum? Et quidem tanto magis haec tua humanitas, atque animi aequitas extollenda est, quanto eam excellentiori in dignitate collocatam videmus. Sunt qui humiliori in loco constituti, etiam compellati litteris scriptores contemnunt, ac rescribere inferioribus dedignantur. At vero tua praestans virtus, et excellens quaedam animi magnitudo, verbis non meis admonita, tantum mihi tribuere dignata est, ut ipsis litteris me collaudare, patriam laudibus extollere, et suam erga illius statum et commoda egregiam mentis affectionem scriptis notam esse voluerit, omnibus ad ostendendum, si quis secus sentire videretur, quam sincerus sit erga nos animus tuus, quam promptus, ac firmus ad mutuam benivolentiam, atque amicitiam conservandam. Quod eo mihi fuit jucundius legere, quo plus fidei, roboris, atque auctoritatis scripta, quam verba, solent hominibus afferre. Gratum extitit mihi laudari abs te principe omni laude ornatissimo, cujus judicium apud omnes magnum pondus habet. Sed illud multo mihi gratius, atque acceptius fuit, animus videlicet, quem ad meam rempublicam ostendisti. Nam cum exquisitis verbis Florentinam urbem adeo graviter, copioseque laudaris, ut nihil fere amplius ab homine amicissimo dici potuisset, maximum erga eam videris benivolentiae testimonium prae te ferre. Adde, quod non solum laudes nostras prosequeris elegantissime, sed etiam tuum in nos amorem profiteris, tuerisque nos veluti propria in causa ab

eorum vulgo, qui coecos appellant Florentinos. Hoc mihi maximam praestat ac praecipuam voluptatem, quoniam quidem has litteras existimo ad me missas tanquam certissimum pignus amoris erga nos tui. Non enim ad adulandum (quid enim minus egregium principem decet, aut quae in vitio adulationis inesset utilitas?) a te referri ista judico; sed ad demonstrandum, quid sit tuus animus in populum Florentinum. Neque enim tam ornate, tam copiose solemus laudare, atque extollere verbis eos, a quorum utilitate et commodis mens nostra est alienior. Itaque ea vere, et ex animo a te scripta esse confido, et quod litteris polliceris, ipso opere comprobaturum. Fuit olim inter majores tuos, et Florentinos Cives plurima de gloria, et dignitate contentio, quos inter non odio, aut crudelitate certatum extitit, sed de praestantia, et laude dimicatum. Factum est id palam post obitum excellentissimi, atque omni laude dignissimi principis patris tuis: cum ruente ad bellum, et se ipsam sevo Marte conficiente Lombardia, Florentini, semota bellorum cura, paci et otio consuluerunt. Et cum ad delendum imperium praeclari tui generis et sanguinis saepius invitarentur, tamen, quia nullis odiis, sed pro libertate tantum sua cum patre tuo concertaverant, securi rerum suarum quievere ab armis, satis sibi esse factum arbitrantes, si procul a belli suspitione libertate sua potirentur. In te autem ne dum odium ullum non ostenderunt, sed etiam antiquos discordiarum fructus non opinione.

sed pace et foedere excidere voluerunt. Bello quidem, quo Januenses subegisti, tu ipse scis, nulla conditione impelli potuisse Florentinos, ut tuis adversariis opem ferrent; quamvis multi ad impediendam tuam victoriam hortarentur. Plures vero id esse utile judicarent; tanta erat nobis servandi foederis, et pacis potiundae cupido. Itaque ipsa, ut aiunt, manibus comprehendere [illegible], nihil aliud respicere, nihil aliud quaerere nostras cogitationes quam pacis ac libertatis tutelam. Est enim ferme rerum omnium publicarum raro quemquam bello lacessere: provocatae ut plurimum, et vi coactae ad arma descendunt. Nam cum respublica multorum arbitrio gubernetur, multitudo autem quietem appetat, et tranquillitatem, impulsa, et necessitate potius quam voluptate, bella suscipit, et aut pro ulciscendis hostibus, aut injuriis propulsanda. Sed accidit fatalis quidam motus temporum, ut arbitror, et majoris cujusdam principis culpa, qui per nostras calamitates suam potentiam augeri cupiebat, quo non de tuis, aut nostris opibus, sed de fide, et dignitate certabatur. Et cum uterque pacem optarent, tamen ejus, quem dixi, opera bellum pro [illegible] formidantis concordiam ab utroque appetitam [illegible] impediunt. Secuti sunt deinceps varii [illegible] fluctus inter nos, quibus tamen [illegible] satis aperte perspicere licuit nullo tui odio, aut malivolentia pugnasse tecum dudum Florentinos, sed tutandae solum causa libertatis, cujus possessionem omni ope defendendam semper

viri doctissimi, ac sapientissimi consueverunt. Quod si quibus cara ac dulcis esse libertas debet, Florentino certe populo decet esse gratissimam, apud quos, obloquantur malivoli atque invidi quantum libet, est solida veraque libertas. Non enim unus, aut alter imperat, non optimatum, aut nobilium fastus regnat, sed populus aequo jure adjicitus ad munera civitatis: quo fit, ut summi, infimi, nobiles, ignobiles, divites, egeni communi studio conspirent in causam libertatis, proque ea conservanda nullos effugiant sumptus, nullos labores, nulla discrimina reformident. Nihil denique tam durum atque arduum videatur, quod non subeundum ducant, ut gaudeant accepta a patribus libertatis hereditate: omnibus, qui modo ejus nomen tueri possunt, idem impetus est, idem ardor, ut salutem patriae defendant: cujus incolumitatem optare, dignitatem tueri, commoda appetere, pericula amovere, et divino, et humano jure homines coguntur, hujus propugnatores omnium sermone celebrantur, oppugnatores vero omnium gentium memoria damnavit. Atqui certus sum, te olim nobiscum non ad libertatem delendam, sed pro tuendo honore et dignitate, ut scribis, contendisse. Nam si quis ea esset immanitate ut laudem sibi quaereret ex nostra oppressione, viam verae laudis ignoraret, et vivus odio mortalium omnium, et mortuus execratione dignissimus. Quis enim non omnium saeculorum oblivioni damnandus esset, qui gentis Etruscae decus, magnum Italiae splendorem, hanc virtutum emulam libertatem appeteret

extinguere? Laudatur bello ac pace virtus Etruriae atque amplitudo omnibus tum Graecis litteris, tum Latinis: emanavit enim ejus nomen et gloria ob res magnifice gestas etiam ad exteras nationes. Sed ab eorum gestis et virtute nequaquam Florentini ulla ex parte degeneravere: quin potius partam a suis majoribus nobilitatem, et laudem prae caeteris auxerunt. Sunt in Italia plurimae praeclarae urbes, atque magnificae, sed nulla videtur nobis, neque acumine ingenii, neque doctrina, neque sapientiae studiis, neque civium prudentia, neque moribus, neque ullo virtutis genere praeferenda. Nam si qui virtutem, vel humanitatis studiis, vel omnium disciplinarum doctrina, vel agendorum prudentia, vel fide, vel pietate in Italia coluerunt, praecipuum inter eos locum, pace caeterorum dixerim, sibi vindicant Florentini. Haec omnia accepta referimus a sola libertate, cujus diutina possessio ingenia nostra ad virtutis cultum erexit, atque excitavit. Quanta igitur laetitia, quanta consolatione, quanta mentis alacritate me affectum tuis litteris putas, cum ipsis oculis cernere videam singularem, quem ad statum nostrae patriae geris affectionem? Cum te Florentinos omni diligentia, et amore, ut dignum est, prosecuturum scribas: cum pro nostra utilitate et status protectione opes, facultates, personam insuper pollicearis: cum sit nihil futurum, ut verbis utar tuis, quod tuum animum a nostra fraternitate, et benivolentia possit avertere: Quae talia sunt, ut vota mea tuis verbis exuperari quodammodo videantur. Adeo igitur

consolor verbis istis, tantam tuae oblationes mihi fiduciam praebent, ut procul dubio sperem, nos tua opera in diuturna, quod solum cupimus, pace quieturos. Etenim simultas ad benivolentiam, dissensio ad concordiam, discidia ad unitatem, bellum ad pacem conversa mihi persuadent, nihil jam posse emergere, quod immutare queat tuam sanctissimam voluntatem. Qua in re dabitur a nobis diligentia et solicitudo, ut tibi et reliquis innotescat nostrum servandae pacis desiderium. Hanc quidem bello semper priorem duximus, dummodo procul ab insidiis esse videretur. Loquor haec apud te liberius invitatus tua in scribendo humanitate, atque eo in his versor libentius, quo eloquentius a te laudari video Florentinos ob defensam ab eis hactenus libertatem. At vero certe existimo sancte et omni cum fide ac pietate te quae scribis effecturum perinde, atque a te dicuntur. Etenim si boni principis, atque omni laude cumulati, qualem te esse volumus, esse sapientes putant, beneficentia et placabilitate honorem et gloriam quaerere; si malle diligi, quam timeri; si potentiam a Deo concessam ad hominum salutem, non ad pernitiem vertere; si odia ad caritatem, hostes ad amicitiam flectere, quemadmodum tu ipse paulo ante praeclaro exemplo docuisti; si quietem et otium tumultui anteferre; certus sum equidem, te principem omnium, qui vivant, sapientissimum exquisita ope, atque opere enixurum, ut pax diuturna inter nos vigeat; ut nulla tuorum culpa novarum discordiarum, aut belli suspitionum causa exoriatur;

ut aliquando a diutinis bellis, quibus jam diutius quam equum erat Italia conquassata est, conquiescamus; ut otio et tranquillitate, quae semper appetere professus es, per opus tuae prudentiae potiamur; ut jactis amicitiae inter nos fundamentis molem superaedifices immobilem, atque inconcussam. Nos quippe obliterata omni superiorum memoria bellorum, deposita priorum temporum solicitudine, praeteritarum rerum oblivione sumpta, curam, mentem, consilia, animum deflexímus ad fruendam pacem, nihil aliud appetentes, nisi quod bonorum civium esse debet, ut in libertate nostra cum ocio et dignitate vivamus. Eamdem mentem cum tibi quoque inesse asseveres, compotes voti nos tua reddet prudentia, ut pace tua communibus incrementis reviviscant Italorum vires, et ad priorem gloriam revertantur. Quamvis autem minime necessarium videatur, hortari tuam excellentiam ad eum vitae cursum ad quem te video tua sponte adeo incensum, ut hortatore non egeas; tamen patriae caritate, ac pacis cupiditate motus te hortor, rogo et per eam fidem, quam mihi tua verba praestant, obsecro, atque obtestor, ut pacis animum sumens, eam civitatem, quae tecum olim omnem inimicum animum deposuit, quae tibi aliquando favit, qua cum tibi sanctissimum foedus quondam fuit, quae nunquam voluntario tecum pugnavit, ornatam, auctam, atque amplificatam tua indulgentia velis; ut eos, qui fidem patriae servant, speres tuis quoque rebus futuros esse fideles; atque illos, qui nihil tuorum

appetunt, quin potius, libertate salva, praeclarum te, atque amplissimum cupiunt, concupita pace, desiderata quiete, exoptato otio frui gaudeas. Quae cum egeris, acturum vero confido, eam, quam praeclaris principibus propositam scimus, famam et gloriam adipisceris, firmam quidem, et nullis saeculis defuturam. Ego tu modo voluntatem meam confirma, tuorum operum et laudis praeconem quaemdam me futurum esse profiteor. Et quamvis parum ingenio valeam, minus vero eloquentia, tamen doctioribus atque eloquentioribus scribendi occasionem praestabo. Vale, princeps inclite, et me in tuorum numerum adscribe. In Terra nova die XV. Septembris (1).

EPISTOLA II.

Poggius pl. sal. dicit Candido suo.

Cum ex Ferraria cum omni familia in patriam, hoc est, ad natale solum revertissem, misit ad me vir clarissimus Cosmus de Medicis praestantissimi ac optimi principis Ducis Mediolani litteras, allatas ex Curia Romana, quae multis ex causis maxima voluptate me affecerunt. A te autem summa cum elegantia, ita prudenter et graviter scribitur, ut a Candidi officina ipso dicendi ornatu et dignitate emanasse epistola videatur. Verum ut fit redeuntibus longo postliminio domum, ita multa mihi

(1) Anni 1438.

incubuerunt; multa enim audienda: plura videnda, nonnulla agenda erant; rusticationi insuper, et rei familiari constituendae in primis vacandum fuit, ut nullus vacaret respondendi locus. Coepi etiam aedificatiunculam quamdam pro diversorio studiorum meorum, in qua libri mei absente me quiescant. Appellarem bibliothecam, si librorum paucitas mereretur. Cum tamen inter occupatiunculas meas e vestigio respondissem ad litteras, rescribendi postmodum laborem fugiens, (nam coepit propter aetatem ingravescere calamus) distuli epistolam diutius quam aequum erat. Abest enim librarius meus, qui me ab hujusmodi molestiis liberare consuevit. Tandem exaravi epistolam, cum paulum a negotiis quievissem, et eam mitto ad Episcopum Cumanum, qui deferendam, ac tradendam curet. Ego pestem fugi ad Penates meos, ubi me oblecto cum meis libellis; querebantur enim paulum me tamdiu ab illis abfuisse. Itaque in eorum consuetudinem rediens, do eis paulisper operae vacuus curis. Vale, et mihi rescribe, quid tibi de epistola videatur, et an principi sit accepta, scripsi enim, quae suae dignitati et utilitati apta esse videbantur. In Terra Nova die XVII. Septembris (1).

(1) Anni 14[illegible].

EPISTOLA III.

Poggius pl. sal. dicit Patri et Domino Venerando Episcopo Cumano Ducali Oratori.

Litterae, quas olim in tuo reditu Ferrariam mihi significasti scripturum ad me illustrem principem dominum Ducem Mediolani, ad me missae sunt, cum in patriam redivissem. Hae me delectarunt permaxime, summamque spem tribuerunt eum futurum, qualem semper optavi, qualemque futurum esse verba tua pollicebantur. Ago tibi gratias, qui illarum scribendarum causam praestitisti. Videor enim quasi quoddam pignus habere suae fidei, et voluntatis; si qua fides adhibenda est verbis. Litteras multi legerunt, quae plurimum profecissent nisi novitas Burgi Sancti Sepulchri nonnullis suspitionem intulisset. Videntur enim facta verbis contraria. Neque ego existimo hunc suapte auctoritate has res moliri. Ego rescripsi ad Ducem, et eam epistolam ad te mitto, primum ut eam legas, tum ut rescribi facias diligenter, ut exemplar est, ita ut ne quid erretur, neque in verborum, neque in sillabarum, aut litterarum ratione, et eam ad Ducem mittas volo, retenta epistola. Est enim haec manu mea oscitanter informiterque scripta. Nam librarius meus, qui me rescribendi molestia levare solet, abest Ferrariae. Ego autem scribendo, accurate praesertim, admodum gravor, et sumptus calamus pergrandis videtur palus: haec causa est, cum forma litterarum sit

invenusta, cur nolim ad talem principem deferri. Fuit quondam tempus, cum omnes ferme elegantia litterarum superarem, nunc aetas efficit, ut ab omnibus videar superari. Veruntamen tu qui nosti illius mores et elegantiam, facito in ea re ut libet. Scribo insuper ad Candidum, et Franciscum de Landriano, quas litteras resignes, ac legas velim. Franciscus scripsit ad me perhumaniter, credo tua exhortatione motus, cum sciat te mihi esse amicissimum. Rescripsi autem tardius ad litteras rusticatione impeditus, scribendique molestia ac negligentia. Tu has cura deferri diligenter, et simul suade Duci, ut obstet his novitatibus nobis adeo propinquis, quae timorem incutere possent etiam intrepidis. Ego sum ruri vacans, aedificationi, et litteris, circumdant enim me libelli mei, et mihi gratulantur, qui tandem redierim ad eorum conspectum; et ut me facilius abire patiantur, construxi eis diversoriolum, in quo morentur non invenuste. Bis autem me Florentiam contuli defendens causam, quam semel suscepi. Tu modo fac oro, ne eludantur ii, qui pollicentur rectam Ducis voluntatem, ne aut mendaces, aut creduli nimium stultique fuisse videantur. Rogo ut ad me scribas aliquid de statu rerum communium, et nostrarum. Litteras des ad mensam de Medicis, qui curabunt tute ad me, quicquid scripseris, perferendum. Scribe quoque an has litteras receperis, et quando eas miseris, aut quando eres missurum. Da operam, ut valeas. In Terra Nova XX. Septembris (1).

(1) Anni 1438

EPISTOLA IV.

Poggius pl. sal. dicit Francisco de Padua Pontificis Cubiculario.

Scripsissem ad te antea pro nostra amicitia, mi Francisce, si mihi constitisset, esses ne penes summum Pontificem, an ne te alio, ut reliqui permulti aeris mutandi gratia, contulisses. Nunc vero praestantis viri, mihique amicissimi Antonii Salutati litteris certior sum factus, te nuper, audito ab eo филиoli mei ortu, (1) plurimum gaudium suscepisse, quod, ut perpetuum nobis sit, opto, ac Deum oro largitorem hujus boni, ut illum velit esse senectuti meae praesidium, parentisque etsi non boni (ardua est enim ascensu virtus) at saltem, qualiscumque est, imitatorem. Sed spero gratiam ejus, qui mihi ultra quam onus delictorum meorum ferret, semper abunde adfuit, in hoc quoque puero non defuturam. Non enim divitias, opes, dignitates, magistratus (quanquam ea minime aspernanda sapientibus etiam viris videntur) illi opto; sed virtutem ac bonitatem; quae cum sint voto honesta, eum, qui justa postulantes non respuit, et meas quoque praeces admissurum confido. Tibi vero suavissime Francisce ago,

(1) Filius de quo haec epistola loquitur fuit primogenitus Poggii, quem Petrum Paulum vocavit. Hic postea habitum induit Praedicatorum et ad gradum honorificum pervenit Prioris Sanctae Mariae Minervae a Romanis dictae, in quo permansit usque ad diem sextam Septembris anni 1464, in qua de vita migravit, aetatis vero suae anno vigesimo sexto.

habeoque gratias magnas, quem scio non secus meis commodis ac tuis allici. Pro hac autem tua in me charitate non est quid tibi possim reddere praeter litteras et animum gratum, qui si satis esset ad referendam gratiam, confiderem satis abunde me tibi esse relaturum. Attamen litteris quoque aliquid nomini tuo impertiar, si superfuerit vita, et eo quidem tempore, quo non ambitioni, aut questui, sed verae amicitiae tributum homines putent. Est enim aliquid in manibus jocosum, quod et ad facetias spectat, et risum excitet legenti. Ego adhuc me domi contineo revisens paululum libros, a quibus aberravi diutius, quam hominis non abhorrentis omnino a studiis litterarum consuetudo requirat. Non autem ad Curiam redii, quoniam admodum exorresco non mortem (nam id stultissimum esset), sed genus mortis quo homines derelicti, destituti, ac projecti veluti pecora, nedum corpori, sed neque ipsi animae consulere possunt. Neque vero aut pecunias, aut questum ullum, vel quamvis amplam dignitatem tantifacio, ut ea vitae periculo consequi velim. Et si iis essem divitiis, quibus multi existimant, mihi credas velim, mi Francisce, consulerem otio et quieti, vacans lectioni, et me paulum componens ad futuram vitam. Curiam vero Romanam a longe colerem, ac venerarer tanquam educatricem atque altricem meam, ipse procul ab ejus curis, et strepitu rerum agendarum constitutus. Nihil est suavius, nihil est dulcius, mi Francisce quam in patria et Diis Penatibus versari inter

libros, et loqui cum iis, qui suis scriptis nobis recte vivendi praecepta reliquerunt. Ab iis nulla cupiditas, nulla luxuria oritur, nullum vitium insurgit; sed admonent ea, quae sunt caduca, contemnere, ac spectare aeterna. Capesserem ego omni studio hanc vitam, si mihi adessent facultates, quae sustentare possent quiescentem atque otiosum. Cum ergo culpa temporum, ne dicam pastorum nostrorum, plura ad hoc deficiant, laboribus adhuc vacandum est, et ad hunc agrum, in quo jam diu versor, redeundum, quoad fructus paulo uberiores consequamur. Redibo autem quamprimum, si id mihi censueris esse faciendum, nam sequar tuum consilium, quod scio ab amico et fideli animo profecturum. Commendato me Sanctissimo Domino nostro, cui aliqua in re, vivens, potero satisfacere; mortuus, neque sibi, neque meis, facere satis possem. Si qua tamen in re pro ejus statu mea opera opus esset, redirem etiam cum discrimine vitae. Scis enim suae erga me benivolentiae me plurimum debere. Magistrum Andream de Palazago virum probatissimum, meique amantissimum intimis, neque vulgaribus verbis, meo nomine, addito etiam osculo saluta: et tu cura, ut continuo valeas. Morinensi insuper nostro me commendato. In Terra Nova die XXVI. Octobris (1).

(1) Anno 1458

~~[illegible]~~

288


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 098067850